


Jd
6103

Ed 907

2



IN IOHE

LEM PROPHETAM,
 qui è duodecim secundus est,
 Francisci Lamberti Aueni-
 onensis Commentarij.

Cum gratia & priuilegio Cesareo
 ad triennium.

1713 B. 1283

Ed 6103





I L L V S T R I E T V E R E

P I O D O . D . S I G I S M V N D O , C O

*miti ab Hohenloe siue de alta flamma, insi-
gnis Ecclesie Argentinen. Decano, ne
gociorum Regni Christi fidelissimo
promotori, patrono suo Francis.*

Lamber. Auenionen. I E S V

Christi seruus. Gratia &

pax dei per dominum

Iesum Christum in

spiritu sancto.



Isi nuper subli-
mitati tue nobi-
lissime Comes, li-
brum de caussis
excecatiōis mul-
torū seculorū,
quæ maxime ob
Antichristorum
ac pseudopro-
phetarum persi-
diam, in totum

Christianum orbem uenit. In quo etiam de gloria lucis æ-
ternæ

EPIST. AD COMIT. AB HOHE NLOE. 2

ternæ ueritatis à deo nouiss. & denuo reuelatæ nonnihil
 egimus. Nunc post Oseam Prophetã, Iohalem editurus,
 in quo miris tropis, & eisdem maxime congruis, agitur
 de longe perniciosiss. escarum iustitiæ & ueritatis Dei,
 nempe Eloquiorũ eius, fame & siti, quæ diebus plurimis
 eisdem scilicet, quibus dicta excæcatio fuit, cui ipsum Io=
 halem dicare potius debui, quàm tuæ celsitudini? Siquidẽ
 non aliunde prodiit ipsa fames, quàm ipsa excæcatio, qd'
 ex huius operis lectione palã fiet. Proinde utrunq; eidem
 mittere uolui, q; alius maxime confirmetur per istum, in
 quo sublimi prophetandi genere & iucunda breuitate, et
 caussas famis eiusdem, & ipsam famem, tandemq; desy=
 deratissimam abundantiam prescriptarum diuine iusti=
 tiæ escarum descripsit, ut nullus æque.

In eo leges, Antichristos & filios iniquos cū prophetis
 eorum, à quibus in omnes fideiũ terras prodire mala in
 numera, nempe errorum tenebræ, excæcatio, ueritatis fa=
 mes, uocari locustas, bruchos, crucas & rubigines. Et
 uere nihil aliud sunt hi pestilentissimi homines nisi uermes
 & bestie uenenatissimæ ac uoratrices, quicquid in orbe
 speciosum est, absumentes, adurentes & corro dentes.

Leges itidem in eo uniuersa Antichristorũ studia, ma=
 lignitates, opera, conatus. Videbis promissum electis pre=
 cantibus doctorem & escas iustitiæ, liberationem eorum
 dem ab omni malo, pacem & gloriã Ecclesiæ super admi=
 rabilem, iudicium cælestis spiritus contra hostes pietatis.
 Sed quid præuenio tempus? Lege, & absq; similitudine

A 2 maiora

EPISTOLA AD SIGIS.

maiora, quam promittamus, inuenies.

Inuenies autem talia, quæ Flamineum deceant Principem, quibus semper te ipso ignitus magis fias in Domino, sisq; ob id multo celebrior ueteribus & summis illis Flaminiibus, à quibus generosissima familia tua originem duxit.

Porrò is, qui expauescendo iudicio suo, tametsi semper æquissimo, Flamines illos in spiritum erroris induxerat, & omnes etiam nos, tenebrarum filij per diti abominations admittere permisit, quamuis in eas minime induxerit, is, inquam, nos ab eisdem tenebris eripuit misericorditer, ueritatisq; suæ gloriam reuelauit. In quibus dum essemus, nonne fames illa erat in cordibus nostris, qua nulla crudelior, sæuior, immanior, quippe quæ animæ uita priuat, & mortem sempiternam infert?

Petebamus, ut aperirentur cælestis tritici, itemq; uini ac olei apothecæ & horrea, & non erat, qui hæc nobis partiretur ac dispensaret, imò neq; in nobis reperiebantur, hæc horrea & apothecæ. Quin potius earum uice in omnibus fidelium terris increuerant urticæ mortiferæ & omne semen impium traditionum hominum. Quod maxime fuit ab eo tempore, quo Antichristi decreta pro cælestibus institutis admissa fuere. Nulla fides, iustitia, pax, ueritas, gaudium, zelus, charitas, ac opus uere bonum in nobis tum esse potuit, mendacio regnante.

Pro maxima ergo felicitate habere debemus, quòd desideratiss. cælestium escharum copia nostro reddita sit tēpore,

porē, & nitendum nobis est, ut non ultra escis figmentorum hominum in mortem, ut hactenus, uescamur, sed in ipsis preciosissimis Dei cibis potiamur & uiuamus in eternum. Proinde abijcienda sunt, quæcunq; ab illis sunt diuersa, quòd fieri non possit, ut pariter utroq; cibo utamur. Hæc sunt omnino ingrauißima filiis hominum, his scilicet, qui sunt duro & impio corde. Nimirum quantum distat Ortus ab Occidente, tantum carnalium affectus præscriptis aduersantur.

Ob id autem tuæ celsitudini hunc Prophetam, qui maxime est aduersum filij perditionis factionem, dicare uolui, eo quòd mihi sit persuasissimum, te omnem Satanae altitudinem, quæ in eo cernitur, toto corde calcasse, atq; ut tuo exemplo multi fiant ex Nicodemis Apostoli, hoc est, ex secretis ueritatis confessoribus, & sermonibus & facto publici eius adsertores. Videmus quosdam tui ordinis, qui abscondite Christum adserunt, publice autem negant.

Negant autem satis, dum profiteri nolunt, quod sciunt. Timent miseri & cæci suis peris, culinis, stabulis, & uentribus. Vruntur sæpe, & illis iuxta uerbum Domini propterea ducenda est uxor, quod recusant facere, ne quæ possident, amittant. Malunt interim omni fœdarium mundicie, etiam Christo amisso. Eo timore retinentur, ne pueros Euangelistas iuuent, protegant & foucant, fugiuntq; eos, qui profitentur Christum publice, ne quisquã suspicetur, eos parisi iudicij esse. Putantque seducti, quod illis satis sit ad omnem iustitiam, in cubiculo dicere, Chri-

A 3 stianus

EPIST. AD COMIT. AB HOHENLOE.

stianus sum, quasi non dixerit CHRISTVS Matthæi
20. & Luc. 12. Qui me confessus fuerit coram homini-
bus, confitebor & ego eum coram patre meo. Et Luc. 9.
Quem mei ac sermonum meorum puduerit, huius & fi-
lium hominis pudebit, cum uenerit in maiestate sua & pa-
tris sanctorumq; Angelorum. Tu autem, o piissime Co-
mes, non sic facies, sed sicut in hunc usq; diem, quicquid
nosces ex Dei uerbo faciendum, non differes, etiam tuo ex-
emplo Regno Antichristi scandalo esse, & promouere re-
gnum domini nostri IESV Christi. Vides autem, quid in-
te ex eodem uerbo desyderes, hoc fac & toto corde serua.

Nunc igitur suscipiat altitudo tua pauperis, & eius-
dem tui in Domino clientuli munus, donec, si id donaue-
rit CHRISTVS, alia accipias. Et ora Dominum, ut
semper currat Verbum eius, & quæ cœpit in nobis, per-
ficere dignetur. Et ut cœpisti, rem CHRISTI promo-
ue, & omnium piorum patronus, ut hactenus, esto sem-
per ardentior, ut in te crescant amabiles & altissimæ dei
flammæ, ac secundum nomen tuum sit & laus tua in Do-
mino nostro IESV CHRISTO, cui cum patre & spi-
ritu sancto, sit gloria, decus & imperium in secula secu-
rum. A M E N.

Commen-



COMMEN-

TARIORVM FRANCIS LAMBERTI Auenion. in librũ Iohelis Prophetæ Prologus.

INter nonnullos uaria de tempore, quo Iohel prophetauit, sententia est. Rabi enim Salomon adserit eum fuisse, tempore Ioran Regis Israël. Hieronymus uero Hebræorum sequitur regulam, qui dicunt, quòd Prophetarum quisque, in cuius libro non scribitur tempus, quo prophetauit, credendus est eo fuisse tempore, quo ille, qui ante eum ponitur. Proinde ait, quòd Iohel fuit Oseæ contemporaneus. Ego puto, ipsi Hieronymo magis adquiescendum, eò quòd regulam Hebræis communem sequatur. Verum non est super hac re digladiandum, sed tantum fideliter inquirendum, quid prophetarit à Domino, cuius Prophetæ erat.

Certum denique est, quòd quocunque tempore fuerit, diebus eius fames grauissima extitit, eò quòd omne uiride absumpserant, cruca, locusta, bruchus & rubigo, quemadmodum in textus facie apertissime uidemus. Hanc autem terræ uastationem & famem, pro sermonis prophetici aptissima parabola adsumpsit. Nam indubie prophetat de fame Verbi Dei, longe omniũ grauior, ut nulli dilux

A 4 gente

P R O L O G V S I N

genter libri scopum prospicienti non est notissimum, & in sequentibus ostendemus.

Porro, hæc perniciosissima Verbi famēs, à uenenatissimis & eisdem crudelissimis uermibus prodiit, qui nihil non rodunt, uorant & absumunt, nempe ab Antichristis pseudoprophetis, & hypocritis. Qui tametsi locusta, brucho, cruca, & rubigine figurantur, ne tamen à sepe omnia replicare opus sit, solo locustarum uocabulo eos intelligemus, ob id uel multo maxime, quòd Apocalypsis nono, eosdem per locustas Iohannes describat. Cuius descriptionem, his quæ hoc libro de eisdem habentur, admodum concordia esse suis locis monstrabimus.

Hi sunt, qui Danielis octauo intelliguntur, per Regnū facierum, nihil ueritatis, fortitudinis ac uirium habens, nisi ad uastandum, perdendum & seducendū, in cuius manu dolus dirigitur, magnificat cor suum, contra Principem principum surgit, & tandem sine manu conteretur, nempe sermonibus Domini, quæ contritio in suis principijs est. Nimirum sicut Daniel, ita & iste de illis prophetauit. Neque ullo unquam modo ualisset quisquam aptius prophetare de eisdem, quàm sub typo uermium, & rubiginis, ut fecit Iohes.

Hi sunt uulpes illæ callidissimæ, quæ Domini exercituum uineam demoliuntur. Canticor. 2. quos etiā noster Propheta cap. 3. per Tyrum, Sidonem, Palestinam, Aegyptum & Idumeam uult designari.

Puto quoque hos esse quandam ferocissimam Gog et
Magog

Magog gentem, de qua agitur Ezech. 38. & 39. & Apoca. 20. Quæ indubie, ut ex eisdem locis patet, est gēs seducta, sanctorum castra siue Ecclesias persequens.

De his, uolente Domino, multa apud Ezechielem, & ipsam Ioannis Apocalypsim, librum omnino sacratissimum & uerissimum, quicquid nonnullis aliter uisum fuerit. Verum non adsero mysteria gentis Gog & Magog sic Antichristi factioni congruere, ut non plus alijs adhuc futuris gentibus competant. Ex sermone quippe Ezechielis uidetur, quòd ante aduentum Gog & Magog primum totus Israël sit conuertendus. Et ex Apocalypsi primum est mergenda bestia, quam omnes Antichristum esse dicunt, & pseudopropheta in lacum ignis & sulphuris, & pacem nonnullam est susceptura Ecclesia, ante illud tempus. Proinde, estimare non possum, mundum tam cito desitutum, ut nonnulli putant. Nondum enim impletæ sunt scripturæ omnes, maxime ipsa totius Israël conuersio, de qua habetur Osee tertio: Quorum plenitudo & adsumptio erit diuitiæ gentium, & quasi uita ex mortuis Roman. undecimo. Veniet enim ex Sion, qui auertet impietatem ab Iacob Esaie 59. & Roman. 11. Ego non sum ex Israël semine secundum carnem, tamen dabo gloriam ueritati Dei, qui per Prophetas suos eius conuersionem tum futuram prædixit, cum gentium plenitudo in Ecclesiam fuerit ingressa. Idcirco adsero eam futuram, non ut quidam uolunt, quòd unus tantum uel alter conuertetur, sed quòd populus ipse

A s totus

P R O L O G V S I N

totus redibit ad Christum. Totum intelligo populum, non quòd nullus omnino non conuertatur, sed quòd talis erit conuersio, sicut ciuitas aliqua dicitur Christum suscepisse, t. met si nonnulli in ea minime credunt. Impium autem omnino est asserere, quòd non sit futura, quemadmodum, si id donauerit Christus, proprio libro, aut saltem undecimo capite Epistolæ ad Roman. manifeste probabimus. Nihil autem facit, quod nonnulli obponunt, ex Paulo. 2. Thessal. 2. quòd non instet dies Domini, nisi primum uenerit defectio, & reuelatus fuerit iniquus ille etc. Nam quamuis illo reuelato, instet dies Domini, tamen nõdum est reuelatus omnibus. Denique iniquus ille perditionis filius, ac peccati homo, non de uno aliquo, sed de multis capitur, nempe de omnibus, qui in superbissimo Papæ throno sedent, ac falsis Regni huius Prophetis. Itidem de Mahumeto & Prophetis suis, item de his, qui maxime Israëlem in impietate, & Christi abnegatione detinent: ac his, qui hæresum, quæ sunt in multis nationibus presbytero (ut uocant) Iohanni & alijs nonnullis subiectis, principes extiterunt. Qui omnes homines peccati, filij iniqui & perditionis, Antichristi, pseudoprophetae, bestiae coccineæ, uulpes & lupi sunt. Et qui illis fauent, quid nisi fornicariæ meretrices ac Babyloniæ? Sunt quoque dicti filij perditionis, cruce, bruchi, locustæ & rubigo, uastantes, quicquid pulchrum, bonum & uiride in Dei populis est, nempe sacratissima eloquia eius. Quia autem Papæ factio abominabilissima plus cunctis sub Christi et ueritatis

ueritatis nomine contra Christum, ueritatem, & Ecclesiam eius insaniuit, idcirco de his maxime hunc librum enarrabimus, quo ad mala, quæ à uermibus & rubigine facta esse dicuntur. Tametsi dicimus, quòd & de alijs præscriptis intelligantur, præcipue autem de bestia crudelissima Mahumeto, quem puto non habere similem in seducendi genere, qui tot populos seduxit.

Porrò, antequam instet dies Domini, omnes hos iniquos reuelari necesse est, ut cum reuelati fuerint, cadant, & populi eos uitent, ne ultra ab eorum mendacijs seducantur. Et tum forsàn ingressa fuerit in Ecclesiam Dei gentium plenitudo, & totus Israël emulabitur fidem gentium, & in ipsam Ecclesiã introibit, & conuertetur ad Dominum, & ad Dauid (Christum) Regem suum, & pauebunt ad bonum eius. Osee .3. Et tum, ut puto, omnibus cõuersis, alligabitur Satan, & in cælo, id est, Ecclesia, erit silentium media hora, Apoca. s. At de his alibi plura. Tandem solutus Satan, excitabit Gog & Magog cõtra sanctorum castra, & mox corruent, & iudicium ueniet, & libri aperiẽtur. Apocalypseos .20. Absit ergo, ut dicamus, instare diẽ domini, iniquis illis nondũ reuelatis.

Quòd si quis adhuc contendit, ad solum Papæ Regnũ spectare, dicimus, quòd nobis, nẽpe Latinis, Papa est peccati homo, Antichristus, iniquus ille &c. Mahumetus autem est populis, quos seduxit, iniquus ille, peccati homo, & Antichristus, qui deum quidem uult adorari, Christum autem minime. Interdicit quoque illis Verbum dei.

Et

PROLOGVS IN

Et suum Alchoranum, pro dei sermonibus, eisdem tradidit. Papa enim, non est illis iniquus ille, quod illos non seduxerit, sed Mahumetus, qui eos a ueritate fecit alienos, iniquus ille eisdem est. Simile iudicium est de omnibus alijs heresum patronis, qui uarios fidelium populos, a ueritate auerterunt.

Hi sunt qui inuexerunt praescriptam terrendissimam uerbi famem, in populos quos seduxerunt, Papa & sui, in nos, Mahumetus & sui, in Agarenorum populos, & sic de alijs seductorum Principibus ac pseudoprophetis. Quod autem, Iohelis Prophetia de hac fame sit, per id fit notissimum, quod secundo libri huius capite se precantibus electis, dominus respondet se missurum doctorem seu escas iustitiae, non dubium quin sermonem fidei, per Christum & suos. Si enim de sola terrenascentium uastatione, ac carnis fame prophetasset, cum praedixit abundantiam fami oppositam, non de escis aut doctore iustitiae, sed de escis corporeis meminisset. Quia ergo famentibus praenunciauit abundantiam escarum iustitiae, indubie ipsa fames, non fuit ab escis carnis, sed ab escis iustitiae dei, de quibus Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.

Porro ipsam terrae uastationem ac famem de qua hic agitur, omnes tum futuram dixerunt, sed alij putant tantum parabolice dictum, residuum erucæ & c. de uarijs nationibus quæ Iudæam inuenterunt, maxime autem de chaldeis, alij uero ad literæ superficiem, capiunt de
 ipsis

IOHELEM PROPHEȚ.

ipsis uermibus, sed hæc non congruere, à libri principio ostendemus. Fuit ergo ad literam, ut diximus, terræ uastatio, ex qua Iohel sumpsit sermonis prophetici occasionē.

Obseruandum autem, quòd bis impleta fuit hæc uerbi famis, itidem abundantia prophetia. Primū quidem ante Christi aduentum uerbi famem induxerunt, falsi Prophetae, qui fuerunt in Israel, inculcantes traditiones, doctrinas & mandata hominum, pro cælestibus institutis, ita ut Christo in carnem ueniente, uix quidquam fidei reliquum esset. Deinde per Christum adlata est abundantia desideratissima. Secundo, germinauit sensim radix impietatis, etiam ab Apostolorum temporibus, ut patet 2. Theß. 2. & 1. Ioan. 2. Creuit autem maxime, inter Agarenos siue Sarracenos, à Makumeti tempore, et inter Latinos, à tempore quo Romanus Episcopus primatum ambiuit, & sectæ perditionis introductæ sunt, ac pro diuinis aternisq; eloquijs, humanæ constitutiones receptæ fuere. Atq; eo usq; processere execrabiles errorum tenebræ, ut nullibi iam fulgeret, lux aeternæ ueritatis. Incepit autem deus hoc felicissimo sæculo, nobis multa copia mittere suauissimas iustitiæ escas, nempe, uerbum suum. O utinam in omnem terram currat uelociter, et reuellet per illud uniuersis gentibus filios iniquos, à quibus seducti fuere, sicut nobis eodem palam fecit, abominations Latinorum Antichristi, id est, Papæ, & suæ meretricis Babylonis.

Quis det præscriptis Agarenorum siue Sarraceno-

rum

PROLOGVS IN

rum populis, ut permittatur eis uerbum domini liberum, quo fieri possit, ut agnoscant ueritatem dei, & iniquitates perditum illius Mahumeti, qui inter eos in simulatione & mendacio, se extulit supra deum Christum, & ueritatem eius. Non dico, quod deo se maiorem predicarit, sed quod pro suis mendacijs, dei scripta calcarit, & illis reiectis, sub dei nomine sanctissimo adfecto, sua obseruari preceperit. Pro qua re maxime orare debemus, itidem pro alijs nationibus, in quas uarij iniqui & filij perditum, dei eloquiorum famem & defectum induxerunt.

Igitur, de duplici fame & abundantia uerbi, est hic liber, quem maxime de posteriore enarrabimus. Quod si cui aliud uisum fuerit, adferat quod sentit. Et si dei uerbo, quod dixerit recte probarit, laudabo in eo dominum. Tametsi non puto alium sensum adferri posse, qui uniuersis libri partibus conueniat, quod maxime in cuiusuis prophetie enarratione est obseruandum.

EIVSDEM ARGUMENTVM in ipsum Iohalem.

Liquet ex prologo, & fiet apertius, ex libri enarratione, Iohalem prænunciassse, dei eloquiorum terrenam dissimam famem, quæ primum fuit ante Christi aduentum, & iterum sub Antichristis, in fidelium Ecclesijs facta est. Itidem ueritatis Dei ubertatem, quæ primum sub Christo, & Apostolis extitit, & nunc denuo eam reditu

dituram confidimus, cuius non uulgare initium iam aspici-
cimus. Hæc in generali.

In speciali autem, capite primo, ostendit ipsam pro-
phetiam huius libri, ad omnes etiam posteros pertinere.
Eruce, deinde locustæ, bruchi, & rubiginis flagella in
parabolam sumit. Electos, qui dei uino lætantur, ad fle-
tum inuitat. Gentis Antichristianæ seuitiam refert. Da-
mna ab eis in Ecclesia facta enumerat. Veros sacerdotes
& ministros dei, ob ipsa mala ad saccum, p' anctum, ora-
tionem, ieiuniumq; inuitat, inculcat futuram dictam per-
niciosissimam famem, & quæ ad eam mala sequantur.
Oratq; pro deserti speciosis, lignis regionis, & bestijs
agri. Verum hæc ipsa oratio, in mysterio est capienda.

Capite secundo, præcipit deus exaltari uocem, ad nun-
cianda quæ hoc libello habentur. Describit & in genera-
li & in speciali, præscriptam Antichristorum siue locu-
starum gentem, ita ut nihil omnino eorū tyrannidis præ-
termittat. Quam grauiam deinde omnib. mala intulerint,
palam facit. Terribilem & difficillimum diem aduentus
eorum prædixit. Hortatur, ad ueram conuersionem. Dei
misericordiam laudat et prædicat. Adserit conuersionē
esse uerum sacrificium & libamen coram domino. iubet
ut prædicent in Sion, ieiuniumq; & Ecclesiam sancti-
ficent. Coniugibus præcipit, ut a cubili & thalamo egre-
diantur. Prædicat ueros sacerdotes & ministros dei, pro
ipsa fame oraturos. Demū quòd illos sit exauditurus do-
minus

ARGV. IN IOHEL. PROPHE T.

minus, missurusq; ubertatem esca- rum iustitie & docto- rem eius. Prædicit quoq; inestimabilem securitatem fide- lium quam habent in domino.

Capite tertio, deus spondet se effusurum spiritum su- per omnem carnem, ita ut ex utroq; sexu omnes qui cre- diderint prophetent, missurusq; signa in cælo & in ter- ra. Saluos fieri dicit, eos qui inuocāt nomē dei. Salutemq; uerā esse in Ecclesia prophetat. Prænunciat omnes incre- dulos & hostes pietatis, iudicandos & reprobandos, à spiritu dei, in ualle Iosaphat, uerum non sicut hætenus multi putarunt. Sub typo gentium, Ecclesiæ perse- cutores increpat. Vocantur fideles Prophete, ut eorum ministerio per uerbum dei incredu- li iudicentur. Tandem gloria Ecclesiæ sanctorum, & desertio ac repro- batio synagoge malignan- tium, paucissimis de- scribitur.



INCIPIT LIBER IOHE=
LIS PROPHE TAE.

Capitis Summarium. Primum scripsit præfatiuncu=
lam operis. Secundo, parabolam ex re gesta proponit.
Tertio, quid ex parabola uelit, palam facit, nempe, quod
uentura sit gens locustarum & c. & mala ab eis fienda
enumerat. Quarto, sacerdotes & ministri dei, admonen=
tur ad orandum, & sanctificandū ieiunium & c. Quin=
to, futuram uastitatem prænunciat. Sexto, ipse Prophe=
ta orat, & ingemiscit, pro imminentibus malis.

P A R S P R I M A.

C A P V T I.

Verbum domini, quod factum est
ad Iohel, filium Phatuel.

Cogitanti mihi omni diligentia, qua ratione Iohel=
lis abstrusissima Prophetia foret enarranda, de=
speravi multoties scopum eius me attingere posse.

B *Quem*

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Quem an tandem attigerim, esto aliorum iudicium. Ego libenter fateor, me nunquam tam laborasse, in cuiusvis alterius libri intelligentia, neq; etiam in Ezechielis uisionibus, & Canticorum Salomonis mysterijs, aut Iohannis Apocalypsi, sicut in hoc libello. Nimirum quocunq; modo illum meditabar interpretari, non uidebatur congruere textus singulis enarrationis partibus, & multa inconuenientia consequi uidebantur.

Si enim eos sequerbar, qui nihil præter faciem literæ hic uolunt, nempe, quod solam terræ uastationem ab eruca, bruco, locusta, rubigine, Iohel prædixerit, complura non consentiunt. Nam primum ut patebit, eius præfati uincula non congrueret. Secundo, absq; exemplo est, saltem in arcanis literis, ut hi uermiculi gentium nomine capiantur. Quod si cui talis expositio adridet, quomodo obsecro rubiginem per gentem capiet? Rubigo enim minime uiuit, sed tantum segetis uitium est. Tertio, hi uermes nequeunt ponere in desertum uineam domini, que non est solum aliquod, sed Israëlis domus. Esa. 5. Quarto, sanctus uir Iohel non potuit tam sollicitus esse, ingemiscere, & orare, tanta instantia, pro solis carnalibus. Nam si tantum faciem prophetiæ adspicis, non uidetur precari pro dei gratia ac remissione peccatorum consequenda, pro illustratione spiritus sancti, pro innouatione populi, & similibus. Videreturq; similis fuisse Prophetis et sacrificis Antichristi, qui ad id tantum, ieiunandum, orandum, coetum congregandum, & ingemiscendum esse, populos erudiunt, ut

redeat

redeat aëris serenitas, ne triticum, uinum, & oleum, non abundant, ut procul absit omnis infirmitas, & pro reliquis id genus. Sed & in literæ superficie, Propheta non orat pro uinea, agris, ac hominibus, sed tantum pro deserti speciosis, lignis regionis, ac bestijs agri. Et pleraq; alia sunt per totum librum, quæ omnino ad rem non pertinerent. Proinde nihil minus crediderim Iohalem in eum sensum prophetasse. Nimum enim torquent ipsum textum, qui eum sic enarrant.

Deinde, si per hæc animalia uolebã intelligere, Assyrios, Caldeos, Græcos & Romanos, quod nonnulli fecerunt, obstabant non pauca, ut de prælijs hominum minime capiantur. Nam primum cap. 2. non prophetat ad litteram & in faciem, nisi de terræ nascentium consumptione. Quod si intelligere uellet armatorum multitudinem, de occisione hominum, & urbium euerfione aliquid meminisset. Terræ siquidem fructus absumere, proprium est dictis uermiculis atq; rubigini. Secundo, Propheta eodem cap. magis tum pro salute Israël, quam pro lignis regionis aut bestijs agri precatus fuisset. Tertio, cap. 2. palàm facit, quod loqueretur parabolice, cum ait: Quasi adfectus &c. Quarto, per hos uermes & rubiginem, non possunt capi soli præscripti, scilicet Assyrij Caldei, Græci, Romani, sed omnes qui Dei Ecclesiæ magis nocuerunt. Proinde, cap. 3. prophetat contra Tyrum, Sidonem, Palestinorum terminos, Aegyptum

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

et idumcam. Sunt quoque alia multa quæ uctant, ne sic enarretur.

Idcirco quemadmodum in prologo diximus, sic rem gestam Propheta scripsit, ut tamen aliud quiddam sublimius uelit. Dum namq; de uermiũ plaga grauissima tractat, et simul pleraq; ipsis uermibus nullatenus congruentia interscrit, ostendit quod maxime ad aliud, de uermium flagello prophetarit.

Est autem huius libelli scopus, quantum licet conijcere, ex multis Prophetiæ partibus, ut patebit, prænunciare ueri Israelis, id est, Ecclesiæ sanctæ mala, maxime ueritatis absconsionem et uerbi famem, demum eius liberationem mirificam per Christum, et rectum domini iudicium, aduersum gentes, id est, incredulos. At de his plura dicto prologo. His præmissis, in fiducia illius, à quo est spiritus ueritatis, libri huius interpretationẽ adgrediemur.

Verbum domini etc. Hoc fuit Dei Prophetis præcipuæ curæ, ut dicta eorũ Dei esse, sicut in ueritate erant, profiterentur. Neq; enim uel sermonem unum tantum in omnibus reperies, quem non spiritu sancto dictante protulerint, et scripserint. Ideo ne quisquam putet, ea quæ hoc libro habentur, humana esse, subiunxit. Factum est uerbum domini, non alicuius alterius, ad Iohel filiũ Phatuel, scilicet ad Prophetam et filium Prophetæ. Ferunt namque Hebræi, ut alibi diximus, tantum eos prophetarum genitores nominari, qui et ipsi prophetæ fuerunt.

Audite

Audite hæc senes. & auribus percipite,
omnes habitatores terræ, si factum
est istud in diebus uestris, aut in
diebus patrum uestrorum.

Autumant quidam, magnam esse differentiam, inter
audire, & auribus percipere, & alta quædam mysteria
sub hac differenti locutione abscondi. Nos dicimus, quod
eiusdem replicatio sit, indicans adfectum loquentis, et ne
cessitatem eorum quæ dicentur, quod scilicet sint inten=
tissime audienda. Porro ad hoc uerbum adnotandum inui=
tantur omnes habitatores terræ, non tantum Israël, sed
simpliciss totius mundi, maxime autem illi, qui ad Israë=
lem uerum, id est, ad dei Ecclesiam spectant, & adhuc ex
illis, hi præcipue qui adhuc in peccatorum sordibus ui=
uunt, & terrenis contra fas adficiuntur. Filij namq; Eccle=
siæ, id est, electi, qui sunt ueri Israëlitæ. Rom. 9. donec cre=
diderint infirmi & carnales sunt. His dicitur & præci=
pitur ut audiant, & obseruent quæ sequuntur. Primum
quidem Israelitis secundum carnem, & qui tum erant,
ista dicebatur, & per eos deniq; alijs, indubie enim quod
illis dixit spiritus sanctus, omnibus dixit. Siquidem nulla=
tenus est putandum, hæc tantum his qui tum erant di=
cta fuisse.

Rem autem de qua agit, maximam esse, indicat ex eo
quod subiungit. Si factum est istud in diebus uestris, aut in
diebus patrum uestrorum. Hinc liquet, quæ hic tractan=
tur non esse tantum capienda, de consumptione terræna

scientium per rubiginem, & uermes prædictos. Nam indubie grauiores fuere locustæ & aliæ plage, quæ factæ fuerunt in exitu Israël ab Aegypto, ut nullus non adserit. Talia enim sunt, quæ hic docet spiritus sanctus, quod ante Iohelis tempora, nullus unquam similia conspexerat. Quàm autem uelit hæc sciri ab omnibus, etiam qui nostro sunt sæculo, palàm fit ex eo quod subnectitur.

Super hoc narrate filiis uestris, & filij uestri filiis suis, & filij eorum generationi alteræ.

Si non alios præterquam illos qui tum erant, hæc prophætia contingebat, frustra dixisset, ut hæc à generatione in generationem, id est, semper narrarètur. Si autem narranda sunt perpetuo, quid obsecro esset hoc tam inauditum, quod terræ fructus uermibus & rubigine tū consumpti fuere? Nam & multi nostro sæculo, & huiusmodi & grauioribus plagis atteruntur, ut grandine uiolenta, siccitate multorū temporum, & similibus. At dices, iudicium Dei, quod tum fuit, erat omnium posterorū memoria dignum. Respon. Memorāda quidem iudicia Dei, uerum non esse consuetum spiritui sancto, ut specialiter eiusmodi iudicia quæ hic in literæ facie habentur, tam inculcet. Sublimius ergo quiddā sub literæ cortice manet absconditū, & nos & posteros etiam nostros contingens, ideoq; ppetuo memorandū. Hūc igitur corticē uideamus.

P A R S S E C V N D A.

Resi=

Residuum Erucæ, comedit Locusta: residuum
Locustæ, comedit Brucus: & residuum
Bruci, comedit rubigo.

Ad literam hæc fuisse, tempore, quo Iobcl fuit, non
dubitauerim, & quidem priusquam hæc prophe-
taret, quod uel ex hoc facile cõycitur, q̄ fructuum
absumptionē, per hos uermes, et defectum tritici, uini, &
olei, nō nisi in præterito scripsit. Vbi aut̄ rem maxime in-
tentā tractat, posuit in futuro, ut per totum librum palam
est cernere. Sæpe aut̄ in Prophetis, præteritū p̄ futuro po-
nitur, ob decreti diuini & rei futuræ certitudinem, uerum
nō sic hoc loco ubiq̄. Insigniter enim distinguit, quæ ī præ-
terito, & quæ in futuro intelligi uelit. Itidē quando uult p̄
futurum præteritū adcipi, ut illud ca. 1. Posuit uineā & c.
posuit, id est, ponet & c. de quibus omnibus, locis suis.

Ad facile ergo & huius loci, et omnium sequentium intelli-
gētiā, sex sunt obseruāda. Primū, q̄, ut nō raro diximus,
populus Israēl typū gessit electorū omnium, ex quibus cōsti-
tuitur Ecclesia, quæ est uerū Abrahæ semē, & uerus Isra-
ēl. Rom. 9. Quæ illi populo cōtigerūt, figura erant futuro-
rū in Christo et Eccl. ideo mala à Deo illis peccatib. immis-
sa, præsignabāt Dei punitiones et flagella, quibus electos
aberrantes castigat, & apostatas punit.

Secundum, q̄, multi olim ex factis prophetandi ansam
sumebant. Sic Oseas prophetauit ex ducta uxore forni-
caria, & filijs ex eadem genitis. Osee. 1. Sic & Esaias,
ex eo, q̄ incefferat nudus & discalciatus, Esa. 22. & Hie-

B

renuas,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

remias, ex eo, quòd in collo tulit catenas. Hiere. 27. Hoc fuit Ezechieli commune præ cæteris. Sic & Iohel ex plaga uermium & rubiginis, suscepit ansam prophetandi, de fame perniciosissima eloquiorum Dei.

Tertium, Eruca uermis est nascens in oleribus. Locusta est uermis alatus, qui antequàm habeat alas, Brucus nuncupatur. Plus autem nocet Brucus quàm Locusta, eo, quòd ut Locusta non saltet, sed in eodem loco maneat, & à radicibus uiridia cuncta absumat. Rubigo uero est, quando segetes, uento urente, aut noxio rore percutiuntur, & tã culmus, quàm spicæ in ruborẽ minij coloris uertuntur, & non ferunt utile granum. Nam aut omnino nõ adferunt, aut adlatum est exinanitum.

Quartum, Quia hæc sunt fructuum & segetum consumptiua, per ea capiuntur, quæcunq; impediunt, ne habeamus frumentum, uinum, & oleum, ac reliquos Ecclesie fructus, id est, uerbũ Dei, syncerã fidem, et quæcunq; ex fide sunt, quib. solis uere in Domino pascimur, & uiuimus.

Quintum, Iohel sanctus, sumpta occasione à plaga antedicta, ex ea, præcipiente Domino, quasi parabolam fecit, dicens: Residuum erucæ &c. Quia di. Sensistis grauissimam ab istis plagam, & quicquid uiride erat, disperijt, sed ecce dies uenient, quibus ad crescet, & supra modum augebitur nouum quoddam genus Erucarum, Locustarũ, Brucorum, & rubiginis, meliores absq; similitudine absumens segetes & fructus, quàm sint hi, quos dicti uermes nunc absumpsere, atque tam uniuerſa consument, ut nihil omni-

hil omnino residuum sit. Frumentum nanq; uerbi Dei, quasi disperdent, & corrodent, cū perperam enarrabūt, dumq; alienis à Deo fidendum esse adserent, quasi ueram fidem extinguent, ut ex ea, nec minimum quiddam relinquant in terra.

Sextum. Ego puto, idem hic per uermes & rubiginem maxime adcipi, quod Osee secundo per bestiam agri, nempe pseudopphetas, Antichristos, & hypocritas, quorū, heu, numerus, iam serè innumerus est. E quibus tametsi multi semper ab initio fuerunt, præcipue ueruntamē post Christum natum, & multiplicati, & hypocrisi aucti, ac cogniti extitere. Hos arbitror esse eosdem, qui Apocalypsis nono, per Locustas capiuntur. Multum enim conueniunt, his quæ hoc libro ponuntur, ut in sequentibus ostendemus.

P A R S T E R T I A.

Expergiscimini ebrij, & flete, & ululate omnes, qui bibitis uinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore uestro.

Proposuit antè sermonem parabolicum, nunc quòd aliud ex illo uelit, palàm facit. Vt autem spiritus Scripturæ huius Prophetæ uideatur, semper ad præscriptam uermium plagam, & ad ea quæ ex illa sequuntur, est redeundum. Absumptis igitur per uermes fructibus, & ob id uino deficiente, hi præ cunctis dolebant, qui ebricitatem amabant, & uigilabant ad calices epotandos. Proin-

B s de nunc

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

de nunc dicitur, quod ad faciem textus spectat: O ebrij, ex
pergiscimini, & flete, &c. Spiritus autem ad fletum &
ululatū inuitat, pro uastatis & absumptis fructibus uineæ
Domini exercituum, nempe domus Israël. Esa. hoc est,
Ecclesiæ Dei. Porro hi fructus sunt impolluta eloquia
Dei, & fides in ea, ac opera ex ipsa fide, quæ tum uinum
fiunt, cum hominis cor lætificant. Psal. 18. & 103.

Sed quos inuitat ipse spiritus ad lamentum? Eos de qui
bus Cant. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini
charissimi. Hi sunt fideles ueri, sed præ cunctis illi, quos De
us uocauit ad uerbi sui ministeriū, quorum præ cæteris est
die ac nocte in lege Domini meditari, ut primum sciant,
probent, & gustent, quid reliquos docebunt. Et quemad
modum uino dediti, multa uoluptate, etiam totis noctib. ad
ebrietatem sedent, ita hi ad Dei scriptorum felix studium,
ac necessariam meditationem. Eum nanq; tantum sciunt
esse uere beatum, cuius uoluntas est in lege domini, & qui
in lege eius die ac nocte meditatur. Psal. 1. Quibus nõ mi
nore, quin potius multo grauiore animi tristitia, est uerbi
sancti defectus & absconsio, quàm ebrijs huius sæculi, uin
nearum consumptio, & uini defectus. Hos uel multo ma
xime spiritus sanctus ad planctum excitat, dicēs: O ebrij,
qui diebus noctibusq; delicias queritis, in suauißimo Dei
eloquiorum uino cor uestrum lætificate, expergiscimini, et
uigilate, ne siti deficiatis. Nimirum hoc uinum cum nimia
dulcedine nunc bibitis, & bonum uobis est. Sed ecce dies
uenient, quibus peribit ab ore uestro, id est, ab his, qui ue
stri mini-

striministerij, uel ipso nomine erunt, & pro ministris uerbi habebuntur. Non enim habebunt uerbum Domini in ore eorum, sed uerba hominum, & figmenta ac mendacia illorum.

Obserua duo. Primum, q, saepe in Scripturis multa nonnullis dicuntur, quae de successoribus eorum, ad quos ipse sermo dirigitur, capiuntur. Sic multa dicta fuerunt Iacob, & filijs eius, quae ad illorum posteros maxime pertinebant, ut patet multis locis in Gene. maxime aut ca. 49. Item Deutero. 33. Sic & ueris Prophetis, ac electis ex Israël Iohel Sanctus dicit, quod ab ore eorum uinum Dei eloquiorum peribit. Verum non intelligit de personis eorum, sed de his qui postmodum secuturi erant, qui sicut et illi, pro Dei electis, ac ueris Prophetis se uenditarunt, è quibus in hunc usque diem sex tanta permanet, ut serè innumerales sint. Aliud obseruandum est, quod quaecunq; hoc libro de plagis terrae Israël in praeterito scribuntur, in re figurata sunt in futuro capienda.

Igitur spiritus sanctus, electis & ueris Prophetis ait: Vos, qui in mira suauitate Dei sermonum pocula bibitis, flete, & ululate, id est, grauissime ingemiscite, quia ab ore uestro, uestrorum scilicet successorum peribit. Quasi dicit. Non inuenientur in terra ipsius ueritatis amatores. Nimirum, si qui fuerint, ob persecutionis acerbicatem abscondentur. Non erit in terra ueritas ac scientia Dei. Osee. 4. Nam ubiq; illius fames erit. Queretur autem à multis, & non reperietur, quemadmodum Amos octauo praedi-

Et uero

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Etum est. Ecce, inquit, dies ueniunt, dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aque, sed audiendi uerbum Domini. Et commouebuntur à mari usq; ad mare, & ab Aquilone, usque ad Orientem circuibunt, quærentes uerbum Domini, et non inuenient.

Gens enim ascendet super terram meam, fortis, & innumerabilis.

Explanat sensim apertius, quid per Locustas uelit designari, nempe gentem fortem & sæuissimam, cuius numerus innumerus est. Per Locustas dixit, simul de alijs præscriptis intelligens. Et quoties de Locustis aliquid dicemus, idem de Eruca, Bruco, & rubigine dictum putes, q̄ per hæc quatuor idem figuretur. Igitur gens fortis & innumerabilis super terram Israëlis ascendet. Hæc est gens Antichristorum, falsorum Prophetarum, ac pseudo-credentium. Ex hac gente fuit Mahumetus, cum suis, item falsi Propheta Israëlis, qui eundem à Christo auertunt. Sed uel multo maxime ad eam spectant, Antichristus, cum uniuersis qui ad eius factionem consentiunt, & subscribunt. Propterea de his potissime scribemus, de alijs nihilominus simul intelligentes.

Sed unde ascenderunt in terram? Ex fumo putei abyssi. Apocal. 9. Abyssus infernus & profunditas est, qua ratione eodem capite Apocal. de his Locustis dicitur: Et habebant super se Regem, Angelum abyssi, non dubium, quin diabolum, de quo Iob. 41. Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Verum quia Antichristi Synago-

ga, est

ga est quaedam impietatis abyssus, recte ipse Antichristus, & Angelus abyssi, & Locustarum Rex dicitur. Hoc autem loco, abyssus profunda & inscrutabilis, cor hominis est, quod ueruntamen Deus scrutatur, & intropicit. Hic remie. 17. Eius puteus uel fons, est peccatum seu concupiscentia, à qua non perspicui fontium ueritatis riuuli, sed putredo & fumus prodeunt. Fumus est fornicationum spiritus, de quo apud Oseam non raro egimus, qui nihil aliud est, praeterquam sensus, iudicium, uel sapientia carnis. Fumus autem recte dicitur, quia eum deficere opus sit, & permanere omnino non possit. Nimirum solus Christi spiritus & sapientia, in aeternum permanet. Ex hoc ergo fumo exierunt praedictae Locustae, id est, gentes apostatae & hypocritae. Siquidem, non aliunde homo à Deo apostatat, quam à spiritu fornicario antedicto. Nam quemadmodum nemo potest dicere, Dominus IESVS, hoc est, illum agnoscere Seruatorem, nisi in spiritu sancto, ita nemo illum negare potest, nisi in spiritu mendaci, & fornicationum, id est, hominis sensu. Ex eodem fumo Sol iustitiae Christus, & aer quo respiramus, id est, spiritus eius, obscurati sunt, quia per eum, sincera Christi ac ueritatis eius cognitio abscondita fuit, & spiritus Scripturae iam non uidebatur.

Apud Apocalypsim hunc abyssi puteum aperuisse dicitur stella, quae de caelo cecidit in terram, per quam uniuersi, qui primum à caelesti doctrina Christi & Apostolorum in terrenam & carnalem Philosophiam defecerunt, capiuntur.

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

untur. Sæpe enim in Scripturis, per unum plures intelliguntur, quod apud Apocalypsum est frequentissimū. Qui autē isti fuerint, definire nō possumus. Aperiunt autē etiam hodie hunc puteum, quicumq; non docent solū puriss. uerbum Dei. Et ex hoc fetentis doctrinæ fumo, pferunt Locustas, id est, impios hæresum & traditionum hominum adsertores, omnia uorantes atq; uastantes. Veh impijs & execrabilibus apostatis, qui hunc puteum indies magis aperire non expauescunt. Si manerent in cælo, in Domino scilicet, ac in Ecclesia & ueritate eius, stellæ essent, nunc autem stellæ quidem sunt, uerum non fixæ, sed quæ ceciderunt, id est, apostatarunt. Adhuc lucere uidentur, proinde nomen stellæ adhuc seruant, sed cum reuelata fuerit Solis iustitiæ claritas, qui eius ex fide facti fuerint participes, agnoscent, quòd non ueræ stellæ, quin potius ipsissimæ tenebræ fuerint.

Heu nobis, quàm multiplicata est reprobahæc Locustarum gēs, quæ multis sæculis, quicquid uiride fuit, absumpsit, et quicquid sanum, lesit, saltem quod ad doctrinā spectat. Nimirum fumo, ex quo natæ sunt, & quo nunquam non sunt plenæ, nã omnes Sophistæ, & falsi Prophætæ, ac pseudofideles, sunt & à fumo geniti, & fumus, id est mendacium atq; uanitas. Eo inquam fumo, omnes Dei sermones cōspurcarunt, leserunt, & contenebrarunt, dum per carnis sapientiam illos interpretari uoluerunt. Tametsi inuincibilis Dei ueritas ab uniuersis hominum figmentis & tenebris oportune se extricet. In tempus enim absconditur, sed non

sed non semper. Proinde cum audis à Locustis læsam ue-
ritatis doctrinam, sic intellige, quòd in se nunquam sit læ-
sa, sed q̄ ad modum læsæ habeatur, dum impia enarratio-
ne eius intelligentia absconditur.

Ergo ueritatem ledere nemo potest. Semper enim su-
perat, cum tempus à Deo præfinitum aduenerit. Hæc &
uniuersi qui in eam credunt, nõ læduntur. Nihil enim cre-
dēbus obest. Et hoc est, quod in Apocalypsi Locustis præ-
cipitur, ut non lædant scœnum terræ, neq; omne uiride, ne-
que omnem arborem, sed tantũ non habētes signũ in fron-
tibus suis, id est, incredulos. Habet nanque Dei signum
fidelis, quo incredulus caret. Signum autem fides est. Si-
gnum hoc non semper habent fideles, sed tum solum, dum
credunt. Proinde eodem loco, ipsæ Locustæ dicuntur ad-
cepisse potestatem, non occidendi, sed cruciandi mensibus
quinque. Rationem huius numeri, quis satis explicabit?
Ideo tantum quod de illo certum est, scripsimus, nempe q̄
per menses quinque potestatis Locustarum, doceamur,
pseudopphetas non posse quempiam discruciare, nisi
in horam & potestatem tenebrarum, illis à Deo præfi-
nitam. Recte autem illorum seductio, cruciatus dicitur, q̄
nemo omnino pacem ueram habere possit, nisi primũ cre-
diderit, & à præscriptis Locustis, ad Christum defecerit.
Et ego qui hæc scripsi, libenter dabo gloriam Deo, quòd
nunquam olim non fui animo intranquillo, discruciato, et
perturbato, donec ueritatem DE I agnouit, & ab An-
tichristi sectis, ac traditionibus hominum penitus defeci.

Et id quidem

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Et id quidem non ab re, quòd nulla pax esse possit, absque doctrina pietatis. Non enim est pax impijs, dicit Dominus Deus. Esaia quadragesimo octauo.

Igitur hæ Locustæ ascendunt, id est, ueniunt, è fumo putei abyssi, in terram meam, dicit Dominus, id est, in regiones eorum, qui pro fidelibus habentur. Nam in his, Antichristi, & pseudoprophetae seducunt, & discruciant. Sūt autem fortes, potestate tenebrarum adcepta, & innumerabiles. Nemo enim posset dinumerare illos, præter eum cui nuda sunt omnia. Nam quis enumeraret, quot uel in solis Phariseorum sectis, pseudoprophetae fuerint, sintq; etiam hodie? Sectæ ipsæ sunt ferè innumerabiles, quid erit de Prophetis earum?

Dentes eius, ut dentes Leonis, molares eius, ut catuli Leonis.

Idem omnino habes apud Apocalypsim, de hac Locustarum execrabili gente & multitudine, per quod immanitas & sæuitia designatur. Etenim nullus à mundi principio, crudelior fuit unquam. Siquidem Antichristis omnibus hoc est ingenium, ut honores, lucra, delitiæ sue sectentur. Quæ ut adsequantur, pro nihilo habent, decipere, mentiri, perdere, mactare. Summa summarum, nihil prorsus est, quod non tentent, ut impleant manticas suas, farciant uentres, ditent cognatos, luxurientur, pompaticè ingrediuntur, inaurent Mulorum frena, equos & canes multiplicent, & in omnibus sui cordis desyderia perficiant. Ob id undequaq; beneficia congregant, illa passim uendunt

dunt & emunt, usurarios census constituunt, Missas, & quicquid Dei est, uenale exponunt. Verbum sanctum interdiciunt, & sua tantum inuenta uolunt inculcari. Hæ sunt Leoninæ, hoc est, superbae & ferocissimæ gentes, omnia dentibus comminuentes, & cætera pedibus calcantes.

Posuit uineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit. Nudans spoliauit eam, & proiecit.

In præterito hæc sunt, ob figuram quæ præteriebatur, sed res figurata tempore à Deo præfinito, futura credebatur. Ergo ueritas huius textus in futuro capitur, sic: Posuit, id est, ponet &c.

Vinea Domini, est domus Israël Esaiæ quinto, per quam Paulo teste Rom. 9. Ecclesia sancta figuratur. Hanc in desertum serè posuit gens præscripta, dum innumeros filios eius seduxit, & à ueritate auertit. Ipsa quoque Ecclesia sua uisissima Domini ficus est, à qua dū Locustæ illæ maledictæ impio dogmate, & proprijs inuentis, absconderunt ueritatem Dei, & ueros Prophetas exterminarunt, ac in alia, quam in solum Deum, & Christum eius, fiduciam docuerunt, quasi illam decorticarunt, & uestimentis gloriæ spoliarunt. Demum, cum negarint, negantque etiam hodie, ipsam Ecclesiam id esse, quod est, nempe oues Christi, quæ perire non possunt. Ioan. 10. & quas illi Pater in æternitate dedit. Ioan. 6. uniuersitatem scilicet omnium prædestinatorum, qui fuere à principio, & in finem usque erunt, ipsam que nomen

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

que nomen Ecclesie Dei tribuunt contra fas Antichristo
& factioni eius execrabili, quasi ipsam Ecclesiam spoliāt
& abijciunt, adferentes, q̄ nō sit Ecclesia uera, de Synago
ga autem filij perditī, id mendacio detestabili prædican-
tes. Veh, ueh mendacibus istis. Dissipet Deus omnia
figmenta illorum. A M E N.

Albi facti sunt rami eius:

Rami Ecclesie Dei sunt electi, q̄ dum credunt, uirides
sunt, & fructus ueros adferunt. Tum uero sunt albi, & a-
ridi, dum à spiritu sancto nōdum sunt ad fidem illustrati,
ubi aut non adest ueritatis sermo, quis credet in eum? So-
lus quippe Dei sermo uiuificat, et adsistente uerbo suo æ-
terno spiritu, electorū mentes foecundas admodum facit.
Proinde, ubi ubi nō est sincera eius prædicatio, nō nisi ste-
rilitas esse potest. Ergo cū præscriptæ Locustæ nō prædi-
cant Dei uerbū, sed sola sua inuēta tnculcāt, et rami Eccle-
sie interim fructū adferre nequeunt, quasi ab eis sicci &
albi facti sunt. Verū impossibile est, ut nō aliquando uiride-
scant, q̄, sicut diximus perire non possint.

Plange quasi uirgo adcincta sacco, super uirum pubertatis suæ.

Adhortatur Ecclesiam sanctam, ut super tam graui ma-
lo flectat, & uehementer quidem, proponit q̄; exemplum iu-
uenculæ, pro dilecti sponsi morte lugentis. Aptissima præ-
sus similitudo. Quandoquidem ipsa Ecclesia, dum per di-
ctos impostores suauissimus Dei sermo absconditur, quasi
proprio & amabili uiro priuatur. Nam tametsi ipse Dei
sermo

sermo in Ecclesia eius, saltem in paucissimis ex ea, semper fuerit, tamen omnes ferè eius filij aberrarunt sæculis multis, & seducti cucurrerunt post doctrinas demoniorum. Verum deus misericordia plenus, illos tandè, ne perirent, ab errore reuocauit, etiam si nobis ipsum diuinæ miserati-
onis tempus incognitū sit. Lugere ergo debet Ecclesia dei, & uere semper est in luctu, hi maxime ex ea, qui Dei gra-
tiam, & lumen ueritatis, ad quod ante sæcula prædestina-
ti sunt, receperunt. Etenim hi sunt, qui Dei signum, id est, fidem habent, & lugent, ac dolent, super abominatio-
nibus, id est, uniuersis quæ non consentiunt eloquijs Dei. Ezechielis nono. Quòd si quis non luget, profecto non-
dum signum habet. At de his plura, uolète DOMINO, in ipso Ezechiele.

Virgini autem adsimilatur ipsa Ecclesia, q̄, tametsi in seipsa peccatrix est, in Christo ueruntamen est incorru-
pta & immaculata. In se nigra & fusca, in Christo ue-
ro formosa, pulchra, & decora, sicut in Canticis Salo-
monis diximus. Sed nunquid opus est, ut Ecclesia sit ad-
cincta sacco? Saccus, est tegumentum incultum & ne-
glectum. Si qui in saccis laudari uolunt, ipsi sacci pro
mollibus indumentis illis coram DOMINO sunt, &
sicut pro mollibus ab eo punientur. Quòd si quis habet
indumentum, etiam ex decenti panno, & nihil omnino
adficitur eidem, ipsum uestimentum illi pro sacco est. Vi-
tanda ast omnino fidelibus ornatus mollicies, maxime au-
tem auferendum cor ab indumentis. Sit ergo modestus

C 2 ornatus,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

ornatus, non præ se ferens leuitatem in modo, nec superbiam in precio, & omnino nihil adficiaris eidem: & saccū habes. Eiusmodi saccis adcingitur Ecclesia Dei, quæ omnibus etiam possessis, semper toto corde abrenunciat, nec ulli rei aliter, quàm in D O M I N O adficitur. Nam ubi se C H R I S T O semel fide & charitate perpetua desponsauit, eum solum, & in se, & in omnibus, quærit, et amat. Sed quare potissimum est lugendum?

Perijt sacrificium & libatio de domo
Domini, & luxerunt Sacerdotes
ministri Domini.

Prophete sancti non ignorarunt, quòd fidelium corda & corpora templa Dei sunt. Sciebant quoq; uerum sacrificium esse spiritum contribulatum, ac cor contritum & humiliatum, ut aperte habes Psalmo quinquagesimo. Porrò ille est uere humiliatus et contritus, qui & seipsum & omnia Dei causa odit, & pro nihilo habet, cum opus est. Humilis enim est, qui nihil sibi tribuit aut fidit: contritus uero, qui se ob C H R I S T V M Dominum nostrum terit, calcat, & spernit. Ergo uerum sacrificium, est se uere humiliare, et in Domino terere, quod Paulus ueteris hominis mortificationem & crucifixionem uocat.

Hæc quamuis ita se habeant, sæpe tamen ad literam, & textus superficiem, à domo Domini, quæ erat Hierosolymis, perijt sacrificium, quod erat de rebus solidioribus, ut de animalibus, ac de frumento, uino, & oleo: & libatio, quæ fie-

quæ fiebat de liquidis, ut de uino & oleo, sed tum præcipue, cum præ fame aliquid horum non reperiebatur. Verum secundum spiritum literæ, à domo Dei, quæ est Ecclesia Ephes. 2. ac fidelium quisque, 1. Cor. 5. & 2. Cor. 6. perijt sacrificium uerum, de quo prius diximus.

Per libationem non dubito, idem quod per sacrificium capi. Sed quare perijt? Propter maliciam dictarum Locustarum & uermium. Quia enim abscondunt, imò prohibent eloquia ueritatis, in quibus uera sacrificia docentur, & ipsis tantum eloquijs homo ad sacrificia huiusmodi idoneus redditur, ob idq; uix reperitur, qui uera sacrificia Deo offerat, propter eorum malignitatem, à Dei templo sacrificia perierunt.

Propterea sacerdotes, id est, ueri fideles, qui sunt ueri Dei ministri & serui, luxerunt, & ingemuerunt, ingemiscuntq; semper etiam nunc, certe non minus, quin potius multò grauius, quàm olim templi Sacerdotes, quando externa templi sacrificia deficiebāt. Nam etiam tum cessantibus his externis sacrificijs, spiritum contritum & humiliatum, id est, carnis crucifixionem, Deo offerre ualebāt. Tale siquidem est hoc sacrificium, ut nemo omnino tyrannorum possit electos ab eodem cohibere. En quod uniuersis fidelibus causa, & quidem è maximis una, propter quam in luctu uiuunt, est q; uera sacrificia disperierunt, & mendacissima abundarunt, quibus Deo quisq; uult sacrificare proprio instituto. Item Idolorum sacrificia sunt admissa, in quibus insaniuimus plus quàm omnes gentes.

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Tot aut malorum fuerunt in causa, dictae scilicet Locustae.

Depopulata est regio, luxit humus, quoniam devastatum est triticum, confusum est uinum, & defecit oleum. Confusi sunt agricolae, ulu lauerunt uinitores super frumeto, uino, & or deo, quia perijt messis agri. Vineae confusa est, & ficus elanguit. Malo granatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri, aruerunt, quia confusum est gaudium a filiis hominum.

Sermo Dei triticum dicitur, quia ex eo fit panis, cor fidei confirmans, uinum, quia hominem uere letificat, ut de his habes Psal. 103. Oleum, dum credentes consolatur & sanat, ut paulo plenius Osee. 2. diximus. Quemadmodum autem his deficientibus regio depopulata esse & humus lugere dicitur, ob idque agricolae et uinitores confunduntur, & clamant, ita & cum per dictam Locustarum gentem, abijetur, & aufertur a Dei populo sermo eius, tota regio & humus. i. Ecclesia, depopulata & destructa esse adferitur. Etenim decor, fructus, & gloria ipsius Ecclesiae, a dei purissimis eloquijs prodeunt. Abundent enim quantumlibet doctrinae uariae et peregrinae, ubi non est purissima ueritas, nihil sanum & integrum, nihil non uastatum esse potest.

Heu nobis, quod praevalentibus Locustis mortiferis, luxit multis saeculis humus Christiani orbis. Inuenerunt enim
in Ecclesi-

in Ecclesiam sapientiam carnis, & uastatum est triticum sermonis. Non quòd sermo Domini uastatus sit, sed q̄ pro ipso, quo solo hominis corda roborantur, mendax et uenenuatus hominum sermo receptus est, et populis inculcatus. Tametsi quasi uastatus est sermo Domini, cum fuit perperam enarratus. Vinum autem tum est confusum, id est, ipsius uerbi dulcedo perturbata, cum non purum, sed curiose Philosophorum sapientiæ fuit admixtum, & per id uera suauitas amissa. Ittdem oleum tum fuit cõfusum, cum abscondito uerbo, deerat quoq; uera fides, & inde uera animæ consolatio, pax, & sanitas.

Proinde agricolæ & uinitores, id est, ueri Prophetæ & Euangelistæ, quos per uinitores capiendos diximus. Osee seundo, ibi: Et dabo ei uinitores &c. Hi, inquam, uinitores & agricolæ sunt confusi, perturbati, adflucti, & ulularunt, q̄ messis & uindemia perierint, id est, non reperirentur, tam sermo, quàm fructus eius. Inculcat autem Prophetæ, quæ prædixerat, dum subiunxit: Vineæ confusa est &c. Omnium istarum arborum arefactio, designat, quàm nihil omnino utile & bonum facere possint, q̄ non habent uerbum Dei, q̄ tum infrugiferi & aridi non esse nequeant. Per has siquidem arbores electi capiuntur, ut abunde in Salomonis Canticis uisum est. In quibus dum uerbum nondū eis prædicatur, quid uiriditatis aut fructus esse potest? Dum aut uerbum prædicatur, & eidē illi credunt, pcedunt cū lætitia et exultatione, portantes manipulos plurimos. Porrò hanc lætitiā & exultationē, filij ho-

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

minum, cæci, mendaces, maligni confuderunt, dum ueritatem, à qua est electorum gaudium, suis mendacijs admiscuerunt. Enim uero non nisi traditionibus & inuentis hominum uerum gaudium confunditur.

P A R S Q V A R T A.

Adcingite uos, & plangite Sacerdotes, ululate ministri altaris. Incredimini, cubate in sacco ministri Dei mei, quoniam interijt de domo Dei uestri sacrificium & libatio. Sanctificate ieiunium, uocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei uestri, & clamate ad Dominum.

Sacerdotibus, & templi ministris, dirigitur in faciem textus, hæc admonitio, ut Dominum pro populo deprecarentur, qui etiam pro eodem apud illum constituti erant. Maxime autem pro eo orare iuebantur, q̄ à templo Dei cessassent sacrificium & libatio. Quod autem ad nos spectat, ueris Sacerdotibus, id est, fidelib. qui sunt ueri ministri, id est, serui Dei, ut paulo ante diximus, præcipitur, ut plangant ob id potissimum, q̄ periijt sacrificium &c. expositum est supra, ibi: Luxerunt Sacerdotes &c.

Ad id quoq; præcipitur, ut sanctificent ieiunium, id est, ut ieiunent ex fide, q̄ alioqui nõ sanctum, sed prophanum esset. Neq; de ieiunio ab Antichristo excogitato capitur, ut scilicet nemo comedat hoc aut illud, & nis usq; ad hanc horam, aut istam, sed ut in temperantia multa cibus omnibus

bus

bus utantur, & super eis minime se effundant. In his aut̄ omnibus dirigantur uerbo Dei, & omnia ex fide faciant. Vocandus quoq; est coetus populi, senes, et reliqui omnes, ut in domum Dei, nempe Ecclesiam, per fidem & ueram resipiscentiam regrediantur, ut unanimes, & uno spiritu clament ad Dominum. Sed ad quid clamabunt? Ut det abunde frumentum, uinum, & oleum, id est, uerbum Dei, per hæc aptissime figuratum, ut dum illud habuerimus, illo quasi frumento nutriamur, & uiuamus, quasi uino letificemur, & quasi oleo consolemur, atq; sanemur, eruditi quoq; ab ipso uerbo, possimus offerre illi sacrificium uerum, de quo prædictum est, nempe crucifixionis ueteris hominis, & diuinæ laudis.

P A R S Q V I N T A.

A a a diei, quia prope est dies Domini, & quasi uastitas a potente ueniet. Nunquid non coram oculis uestris alimenta perierunt, de domo Dei uestri, lætitia, & exultatio? Computruerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum.

Posteaquàm Propheta admonuit ad fidelis orationis instantiam, pro adsequendo cælestis eloquij frumento, uino, & oleo, cuius fames per dictam terrenascē

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

tium consumptionem præfigurabatur, mox ipsam famem in proximo uenturam adseruit, dicens: A ha &c. In Hebræo habetur, Eha, uno uocabulo, quod est pars interiacēs dolorem indicans. Ego optarem ita ubiq; uersum, ad uitandam multorum superstitionem, qui per A primum, u-num aliquid capiunt, per a secundum, itidem per tertium, alia quædam. Nihil aut tate exigit Hebræa simplicitas. Nimirū & hic, & apud Hieremiam, atq; Ezechielem, ubi talis dictio reperitur, tantū est, Eha, non A a a. Dolentis ergo Prophete, ac futura mala prænunciantis est hic sermo. Eha dici, quia prope est dies Domini. Crudelissima, atq; nocentissima uerbi fames, quia Deo æquissime iudicante, immittitur, dies, seu tempus Domini adpellatur. In proximo autem etiam tum erat, quoniam Israëlis imminēbat captiuitas, qua pars in Assyrios, nempe Regnum decem tribuum, pars uero in Chaldeos, nempe Regnum Iuda, transferendi erant, & eadem fame durissima, Locustis, id est, pseudoprophetis agentibus discrucianti. Maxime aut ea fames tum fuit, cum Israël non agnouit, neque suscepit Christum Regem suum, sed illum abnegauit, adcreuitq; indies, in omnibus apostatis, & pseudofidelibus, atq; eo usque processit, ut supra modum multiplicatis letiferis Locustis, uix quicquam aut uerbi, aut fidei, in terra reliquum sit. Hanc aut summā Ecclesiæ desolationem prædixit ita uenturam, quemadmodum ipsa uastitas à potente, scilicet tanta fortitudine, ut à nullo prorsus ualeat impediri, sitq;
nullo

nullo resistente omnia uastatura, quæ ad pectoris ueram
alimoniam spectant.

Ex his argumentum habes, quod Pseudopropheta,
Antichristi, & seductores, instrumenta quædam sint, ad-
trati & nos flagellantis dei. O uere terrendissimum fla-
gellum, quo nullum omnino grauius esse potest.

Porro hanc perniciosissimam famem, tum in proxi-
mo initiandam, præfigurabat ipsa terræ uastatio, & ali-
mentorum defectus, de quibus ait. Nunquid non coram
oculis uestris &c. Quæ d. Videtis hæc mala, & terremi-
ni, sed non nisi dolorum initia sunt. Nam alimentorum
defectus, qui etiam in domo domini est, id est, in ministris
templi, præsignat imminentem alimentorum animi defe-
ctum, longe grauißimum. Et quemadmodum deficientib.
in eadem domo sacrificijs, neq; lætitia neq; exultatio in
ea esse potest, ita & tum erit, cum uerum animi sacrifici-
um defuerit, ut supra uisum est. Nã ubi uetus homo noster
nõ crucifigitur & sacrificatur, nõ potest esse renouatio,
ubi autem non est ipsa innouatio, nec pax nec gaudium
cordis suauissimum, esse potest.

Deniq; paleis ac herbis deficientibus, iumenta compi-
truerunt, quod nec sicut opus est ali, nec locari possint, sed
in suo stercore manere cogantur. Iumenta sunt, quotquot
non habent spiritum Christi, in quibus scilicet dei imago,
non est ex fide reparata, de quibus psal. 48. Homo cum in
honore esset, non intellexit. Comparatus est iumen-
tis insipientibus, & similis factus est illis. In ho-
nore

FRANC. LAMB. IN IOHELEM.

nore erat, cum dei imaginem, id est, cognitionem & spiritum habebat, à qua decidit in brutorum imaginem cum à deo apostatauit. Multa hic de imagine dici possent, contra Sophistarum argutias & curiositatem. Verum de his late scripsimus, libro de causis excæcationis multorum sæculorum. Iumenta ergo, id est, carnales & brutales, in suo stercore, id est, in suis mendacijs & inuentis, competruerunt & facti sunt domino, & sanctæ illius Ecclesiæ abominabiles.

Obserua hic duo. Primum, hoc esse in arcanis literis commune, ut carnales ferarum ac iumentorum nominibus adpellentur. Quod apud Esaiam, Danielelem, & alios, passim offendes. Alterum, quod omnes hominum doctrine, traditiones, et iussa, cum dei uerbo collata, stercorea, & à fidelibus cum Paulo. Philip. 3. pro stercoreibus sunt arbitrandæ. In quibus quisquis delectatur, putrescat & coram domino abominabilis fiat, necesse est. Nam coram illo, putredo, uermis, et purgamentum, isthæc omnia sunt. Demolita sunt horrea, & apothecæ, cum triticum, uinum, & oleum confunduntur, id est, corrumpuntur, aut non sunt. Fidelium horrea & apothecæ quedam sunt, doctores & libri eorum. Quæ tum sunt confusa, siue in eis confusum est triticum, cum uerbo omnino carent, aut idem superbæ Philosophiæ suis uæ figmentis admiscunt. Vere omnes libri qui à multis sæculis scripti extiterunt, aliud nihil omnino fuerunt, quam horrea demolita, tritico in eis confusissimo. Soli bibliorum textus integri manserunt,
tametsi

tametsi aliquid nonnunquam mutilū, & ab Hebræa syn-
ceritate immutatum sit. Dissipet dominus omnia horrea,
& uniuerfas apothecas impiorum.

Quid ingemuit animal, mugierunt greges
armenti: Quia non est pascua eis. Sed
& greges pecorum disperierunt.

Iumenta, id est, carnales, qui supra in proprio sterco
re putrescere dicuntur, ubi adest cibus sermonum domi-
ni, eo maiorem in modum roborantur, & non iam putre-
dine soluuntur. Sæpe autem, dum in eisdem stercoreibus
sedent, illis in mētem uenit, quā sint dulcia eloquia dei.
Tum ingemiscunt, quod non illis fruuntur. Tum quasi ar-
menta mugiunt, quod nō sint pascua eis. Volunt eos com-
pellere impij & hypocritæ, ut e suis stercoreibus uiuant.
Quæ illi uidentes, quod non nisi putredines sint, deside-
rant pascua dei, et qui ex diabolo sunt, nolunt ipsa pascua
eisdem ministrari, ut si fieri posset, etiam electi in dictum
abominabile stercus mitterentur, donec in æternum pu-
trescerent. Hæc tam horrenda fames, hæc maledicta uita-
lium pascuorum abnegatio, in causa fuit, quod plurimi
pecorum greges, id est, simplicium populi, qui pro fide-
libus habebantur, disperierūt. Tu quisquis es, o lector, ob-
serua & meditare ex his omnibus, quā grande, & nō
ferendum malum sit, fames uerbi dei, & quā inestima-
bile bonū præsentia eius. Præsentia illius est robur, quia
tritium, lætitia, quia uinum, consolatio & sanitas, quia
oleum, alimētum necessarium, quia uberrima & ea qui-
dem

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

dem sola, uitalia pascua sunt. Ceterum illius defectus, est
tristitia, desolatio, infirmitas animorum, perditio popu-
li, fames, pestis, & mors, atq; etiam omniū malorū fons.

P A R S S E X T A.

Ad te domine clamabo, quia ignis comedit
speciosa deserti, & flamma succendit om-
nia ligna regionis. Sed et bestiae agri,
quasi area sitiens imbrem, suspexe-
runt ad te, quoniam exicca-
ti sunt fontes aquarum, &
ignis deuorauit spe-
ciosa deserti.

Quis putabit dei Prophetam, tam ardentem preca-
tum, tamq; ingemuisse (indubie enim ingemuit)
pro solis deserti speciosis, lignis regionis, & be-
stijs agri? Abundet quisq; sensu, quo uoluerit. Ego inte-
rim nihil tale sentire possum, quod prorsus alienum sit, à
Propheta pro solis eiusmodi tam anxium esse.

Ignis igitur uorans Dei indignatio, & flagellum est.
Hinc & Deus iratus ignis adpellatur Deuter. 4. Domi-
nus deus tuus, ignis consumens est. Et Deuter. 32. Ignis
succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni
nouissima.

Desertum quoque mundus est, qui & ager dicitur.
Matth.

Matth. 13. Eius species & pulchritudo, est sermo dei. Nā sine illo, omnia sunt perturbata, uilia, confusa. Tum autē deserti speciosa uorantur ab igne, cum dei iudicio, ueritatis sermones absconduntur. Absconduntur uero, dum nō nisi in sensum oppositum rapiuntur.

Demum ligna regionis, hi sunt qui maxime in Ecclesia (quæ Regio fidelium est) fructum adferre debuerant, ut sunt, qui plus ingenij, à domino adceperunt. Hos tum succendit flamma, cum iudicio Dei æquissimo, à præscriptis locustis & fumo putei abyssi seducuntur, & locustæ fiunt, ut non iam ueritatem, sed mendacia amplectantur & doceant.

Bestiæ deinde agri, id est, mundi, idem sunt, qui supra per armenta & pecora figurantur. Nimirum textus circumstantia hic nō patitur, ut sicut Osee. 2. per bestias agri pseudoprophetas capiamus. Hi quasi area sicca, imbrem sitiens, ad dominū suspiciunt, desyderantes ab illo, aquas sermonum ueritatis. Verbum namq; dei, uarijs respectibus, per uaria figuratur, ut de uino, frumento, oleo, & deserti speciosis uisum est. Est namq; fons aquarum, & earum quidem uiuentium, quia sitim extinguit, refrigerat, & uiuificat, fitq; ueris fidelibus, fons aquæ salientis in uitam æternam Ioan. 4.

Dicit ergo Propheta. O domine ad te clamabo, toto corde orans, pro hac longe nocentissima fame, quæ toti regioni ueri Israelis imminet, & multis sæculis erit. Ad te quoq; ob eam causam clamabunt, in futurum & ingemiscunt,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

miscēt, omnes quos implebis spiritu tuo. Nam ecce quem admodum decreuisti, ignis indignationis comedit, id est, comedet, auferet, abscondet, spetiosa deserti huius mundi, nempe, uerbum tuum, per locustas abominabiles hypocritarum & falsorum Prophetarum, & flamma eiusdem iræ tuæ, succendet & absument, omnia ligna regionis, id est, primores fere omnes, seduci permittet. Sed & bestia agri, id est, fidelium populi haud secus atq; area indigens imbribus, suspiciēt ad te, sitientes aquas & imbres tuos, quibus ad fructum salutis terræ illorum, id est, ipsi à te misericorditer irrigentur. Quoniam exiccati sunt fontes aquarum, hoc est, non inuenitur dei ueritas. Omnia in futuro cape. Nam quod in præterito hic scripta sunt, fecit ipsa externa locustarum plaga, quæ futuræ uerbi famis, figura extitit. Tametsi, nõ raro, etiam Prophetarum temporibus, fuit in Israël ueritatis fames, quod impij Reges & Principes, nõ sustinerent Prophetas ueritatis.

Capitis Summarium. Primum execrabilis locustarũ gens apertissime describitur. Secundo, sub figura tremoris terræ, motionis cæli, obscurationis solis, lunæ, & stellarum mala quæ fiūt ab hac impia gente, uel in summa ponuntur. Tertio, adhortatio ad perfectam conuersionem & deprecationem subiungitur. Quarto, repulsio, eictio, & confusio dictæ reprobæ gentis, & alimentorũ, id est, sermonum diuinæ iustitiæ promittitur.

Pars

CAnite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ, quia uenit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbis. Quasi mane expansum super montes, populus multus & fortis. Similis ei non fuit à principio, & post eum nō erit, usq; in annos generationis & generationis.

Sion specula interpretatur, & designat Ecclesiam, in qua sola uidetur Deus. Quæ etiam mons sanctus dicitur, eò q; quicūq; ex ea sunt, sapiāt quæ sursum sunt, non quæ super terram. In ea iubentur tuba canere, id est, prædicare, quicunq; ad uerbi ministeriū uocati sunt. Clangor enim buccinæ est, uocis exaltatio, ad ueritatis sermonē annunciandum. Hinc Esa. 58 dicitur: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam, & annuncia populo meo scelerata eorū, et domui Iacob peccata eorum. Præcipitur quoq; uniuersis, qui sunt in præscripto Dei monte, ut ululent, ingemiscant, & uociferentur, ob ea quæ sequuntur. De habitatoribus quoq; uniuersæ terræ, etiam his qui non sunt, ex ipso Dei monte, subiungitur: Conturbentur &c. Quæ di-
Causam habent maximam, qua id faciant, si eam agnoscerent. Indubie aut ob præscriptā seu iussu uerbi Dei famem,

D & Locusta

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Et Locustarum plagam, hæc dicuntur. Nimirum, quid ipsam Sion, id est, Ecclesiam uastant, ut possunt, quotquot ad ipsam Ecclesiam spectant, ingemiscere, et eius Euangelistæ populos istos Dei sermonib. purissimis instituere debent, ut earundem Locustarum uenena deuitent. Quarum certe tanta est malignitas, et abominationes tam multæ, ut etiam qui non sunt ex ipsa Ecclesia, in deterius indies ruant, blasphemantes propter eos nomen Domini, e cuius populo se esse impudenter adserunt. Proinde si rem ipsam caperent, amarissime turbarentur.

Quia uenit et c. Dies Domini, tempus quo aliquid futurus est, in Scripturis adpellatur. Tempus ergo, quo diæ Locustæ maxime surgent, et deseuient in Ecclesiã et ueritatem Dei, dies Domini hic dicitur, qui uenit. i. ueniet, et in proximo tum erat. Vocatur aut dies tenebrarum, nubis, caliginis, et turbinis, quæ ueritatis lux abscondita fuerit, et uera pax eliminata. Etenim sine uerbo pacis, pax esse nequit.

Porrò hic Locustarum populus, est quasi mane expansum super montes, quia Antichristi, pseudoprophetæ, et hypocritæ, in sublimibus, magnis, et mirabilibus super se ambulant, calcantes etiam montes, id est, summos Principes, Magistratus, et Dominos, quibus se adserunt coram Domino meliores, digniores, potentiores, sed non nisi in fictione, mendacio, et hypocrisi. Ampullosi enim sunt, et laruas ac facies quærent, eas potissime, quæ aliquid magni esse uidentur. Enim uero, sicut in prologo diximus, nihil aliud sunt

liud sunt, quàm regnum illud facierum, de quo Daniel. 8. agitur. Multi sunt, quia hypocritis & apostatis plenus est orbis, & fortes, hac hora, & tenebrarum potestate eis cōcessa. Similis ei non fuit à principio. Nunquam enim etiam ab orbe condito fuere tam impij, quorum malitia posset conferri cum Antichristis, hypocritis, & pseudoprophetis, qui à multis sæculis extitere. Nulla gens, nullus populus, nullæ Locustæ similes fuerunt his uenenatiss. bestiis terræ. Et post eum non erit, supple, similis, usque in annos generationis & generationis, id est, in sæculum. Siquidem Hebræi hac locutione, in generatione & generationem, & similibus, perpetuitatem uolunt designari.

Igitur huic Locustarum populo nunquam fuit alius similis, in superbia, hypocrisi, malitia, seducendi spiritu, omnigena luxurie, auaritia, mendacijs, spiritu contradicendi ueritati, rapacitate, odio, inuidia, crudelitate, uita bestijs simillima, sine spiritu, sine fide, sine fructu, idolorum multiplicatione incomparabili, inuentis ac decretis stolidioribus simul atque immanioribus, quib. tam abutere tur, in carnem Dei sanctissimo nomine, & impollutis sermonibus eius, quæ ue tam gloriaretur in mendacio, superbiæ sceptris, crucibus, mitris, coronis, atq; titulis. Nam cum sint prophanissimi, seuißimi, summeq; abominabiles, ut nulli omnino hominum, æque uolunt & præcipiunt, ut uocentur Sanctissimi, Gratosissimi, & Reuerendissimi, cum sint ipsissima Diaboli & malignantium Synagoga, uolunt pro Dei Ecclesia haberi, & soli

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

quidem. Et quis describere sufficeret huius brutalissime ac uenenatissime gentis hæreses, inclementiam, simulationes, uoracitatem, lasciuias, malitiam, falsitatem, & id genus reliquas Tartari feces, mala, horrores, quibus, heu, diebus tam multis toti Christianorum orbi imposuit? O uere abyssus multa sunt iudicia tua Domine. Recte ergo dicitur: Similis ei non fuit &c. Nunc igitur audi, quæ ratione ipsæ uoraces Locustæ specialiter describantur, & quàm uerum sit illud: Similis ei non fuit &c.

Ante faciem eius ignis uorans, & post eum exurens flamma.

Cum de flagellis Dei agitur, ignis, sicut prædiximus, indignationem eius significat. Significat quoque ipsa flagella. Dicit igitur: Ante faciem &c. Duplex est sensus, uterque bonus, uerus, & maxime congruens. Primus: is Locustarum populus, ante & post corrodit, urit, absumit. Etenim undequaq; exterminat. Nam quicquid facit, exterminatio est.

Alius: Faciem brutalis populi huius præcedit ignis diuine indignationis, uorans, & absumens omnia per eum. Et post eundem sequitur idem ignis siue flamma, illius ministerio cuncta exurens. A maxima etenim indignatione iustissimi Dei processit eiusmodi Locustarum aduentus & multiplicatio, quæ tum solum exterminabuntur, cum cessauerit indignatio eius. Quia enim ob ignem diuini iudicij & indignationis, Locustæ uoraces exierunt in terram,

in terram, quasi earum faciem ignis antecessit. Quia autem ex iustissima & uoracissima flamma eiusdem iure multis diebus manserunt, & non exterminabantur, quasi eas secuta est flamma exurens. Ceterum superueniente gratia & mansuetudine optimi Dei, ac nonnihil temperato igne indignationis eius, coeperunt exterminari ipsæ inclementissimæ Locustæ.

Conuertere ad benignitatem ò clementissime Deus, & extermina omnino hanc Locustarum gentem, ut illorum memoria cum sonitu dispereat. Dissipauit namque uineam tuam dilectissimam, quam magno tui sanguinis precio comparasti.

Prior sensus nonnihil textui germanior mihi esse uideatur. Nam hæc gens antè exurit dentibus leoninis, ut supra capite primo, & post, siue retro, aculeo uenentissimo, quem habet in cauda Apocalyps. nono. Nam quicquid fit ab Antichristi coniuratione, etiam si à primo non aduertimus, tandem lethale & nocentissimum esse sentitur.

Quasi hortus uoluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, nec est, qui effugiat eum.

Terra, regio Domini, Ecclesia, cum nondum sensisset uoracitatem harum Locustarum, id est, ante aduentum earum, erat sicut Paradisus, seu hortus uoluptatis Domini. Nimirum plena erat ueritate & iustitia Dei, ac fi-

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

de, & fructibus eius. Vbi autem ipsæ Locustæ aduen-
 runt, uorarunt, calcarunt, & confuderunt omnia. Pro-
 inde hic dicitur: Terra, id est, Ecclesia populi DEI, est
 sicut hortus uoluptatis, pulcherrimus, suauissimus, fer-
 tilissimus, coram eo, id est, ante eum, nempe Locu-
 starum populum, ante scilicet aduentum eius, sed post
 eum, mox scilicet, ut à fumo carnalis sapientiæ propa-
 gati fuere, & increuere in mundo, ipsa Ecclesia facta
 est, ut deserti solitudo. Absconderunt enim ueritatem
 Dei, & germanum illius sensum suis mendacijs peruer-
 terunt. Sicque per eos aucta fuit doctrina mendacij, &
 per eam denique omnigena impietas, ut neque fides, ne-
 que ueritas, neque iustitia, sub cælo uix ultra reperiren-
 tur. Tantùmque, heu, potuerunt, ut neque etiam electi
 ab illis absque malo euaserint, uerum non usque ad inter-
 nitionem. Nam tamen si errarunt, ipsis ueruntamen er-
 ratis sic minime consenserunt, ut non semper fuerint pa-
 rati, aliud sentire ac facere, si ad id à D O M I N O
 illustrati fuissent. Nunquam enim fieri potest, ut electi
 in errorem inducantur, id est, ut pleno corde sic errori
 adquiescant, ut uelint in eo permanere, & ab eo neuti-
 quam resipiscere. Semper enim optant ueritatem, &
 ab errore deficere, si agnoscere possunt, quòd in errore
 sint. Quo fit, ut animo semper orent illud Psalmi sexa-
 gesimi sexti: Deus misereatur nostri, & benedicat no-
 bis, illuminet uultum suum super nos, & misereatur no-
 stri,

stri, ut cognoscamus in terra uiam tuam. Item illud Psal-
mi. 55. & 107. Paratum cor meum D E V S, para-
tum cor meum.

Quasi ad spectus equorū, ad spectus eorum,
& quasi equites, sic current. Sicut sonitus
quadrigarum super capita montiū exilient,
sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipu-
lam, uelut populus fortis præparatus ad præ-
lium. A facie eius cruciabuntur populi. O-
mnes uultus redigentur in ollam.

Describit has Locustas mortíferas, & primum quidē
ad spectum equorum habere dicuntur, quod etiam Apo-
calyps. nono dicitur. Similitudines, inquit, Locustarum,
similes equis paratis ad prælium. Et quid uolunt, nisi bel-
la, dissidia, rixas? Nonne semper in eis sunt pro terre-
nis perpetuæ lites? Quis plus illis gloriatur, & exultat
in rebus pessimis? Maxime autem congregantur ad ~~pa-~~
gnam, aduersus Deum, Christum, Ecclesiam, & uerita-
tem eius. Currunt quasi equites festinantes ad rapiendum,
mactandum, perdendum, & ad omne malum. Super ca-
pita montium, super sublimibus etiam Principibus, qui
montium nomine in Scripturis non raro capiuntur, ut Mi-
cheæ, & exiliunt, saltant, letantur, calcantes eos, & exul-
tantes, q̄ suis figmentis tantum potuerint, ut omnes cre-
dentium Magistratus suæ tyrannidi callide subiecerint.
imò eò usq; progressa est illorum impietas, & in tam mi-

D + rabilibus

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

rabilibus super se ambularunt, ut se maiores ipso Domi-
no IESU CHRISTO, impollutaq; illius parente, ac
sanctis Angelis fecerint. Calcant enim æternas Christi
leges, ut suas statuunt, & suos etiam quosuis minutulos
Sacrifices & beata MARIA, & uniuersis Angelis di-
gniores esse adfirmant.

Veh, ueh infelicissimis & cæcis Principibus, qui si-
nunt se tam misere uinci & prosterni ab his execrabili-
bus Locustis. Cur permitunt, ut super sua capita exili-
ant, & fiunt illis quasi terra calcata, ac suppedaneum
scabellum? Cur non magis eas proprijs pedibus cal-
cant, sicut oportet, auferentes eis Principatus, terras,
domnia, & interdicientes, ne à fidelium populo quic-
quam exigant tyrannice, & contra uerbum Dei, ac
quòd nihil præter idem uerbum annuncient? Nonne
uident, quod sensim absumunt omnes diuitias orbis ter-
ræ? Præter id quod uel multo maxime, omnes & Prin-
cipes, & subditos mouere debuerat, nempe quòd no-
bis abstulerunt multis sæculis, uiuum Dei sermonem,
ut constituerent mortifera somnia sua.

Exiliunt igitur super capitibus montium, quasi so-
nitus quadrigarum, id est, tumultuosissime, sicut qua-
drigarum, siue curruum in bellis tumultus maximus
est. Et sicut sonitus flammæ deuorantis stipulam, id
est, celerrime, & ardentissime, quemadmodum flam-
ma confestim uorat stipulas. Omnia enim tumultibus
implent, & suis bullis, censuris, decretis, & alijs
id genus

id genus Satanae portentis ac imposturis, quasi igne ardentissimo, omnia calcant, calcaruntque saltem usque in hunc diem, quod nullus omnino ausus fuit contradicere illis, nisi uellet ab eis pro maledicto damnari, atque etiam exuri. Nonne etiam summos Principes, suis mendacibus censuris, contra fas diuexarunt, & gloriabantur, quod etiam Regna & imperia, pro suo arbitrio, in reliquos transferre possent? Ecce ergo quam recte dicitur: Super capita &c.

Hi sunt sicut populus fortis preparatus ad praelium. Recte dicitur: Sicut populus fortis, nam uideatur quidem fortis, & multae autoritatis, apud eos qui non agnouerunt ueritatem DEI, sed in ueritate, nihil ueri roboris & fortitudinis habet. Nihil enim minus potest, quam quod se posse gloriatur.

Quamuis autem non sit fortis, semper tamen est paratus ad praelium, & contentionem. Horum capitulum ANTI CHRISTVS summus, uidetur fortis in mendacio. Quod autem non suis uiribus potest, ad idem calliditate & fraudibus nititur. Videt, quod ab eo iam deficiat magna pars orbis Christiani, proinde timet, ne reliquam amittat, & sic cadat. Cogitauit proinde à Principibus illis deficere, in quorum dominijs suae technae reuelatae sunt, & quasi stercus a sini calcatur. Agit nunc contra illos praelia, iuuans partes aliorum.

D. 5 Apertius

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Aptius loquar: Nititur hac cautela seducere inclytam Galliã, uidens q̄ multos in ea filios habeat ueritas, timēsq̄; ne cum illa à se defecerit, non habeat, quo, sicut in hunc usque diem, Antichristianam gloriam foueat. Mox autem ubi uiderit, nonnihil æris & gloriæ seculi, sibi plus ex alijs adcessurum, quam ex ipsa Gallia, quis dubitat eum ipsi Gallie aduersaturum? Nimirum hæ sunt artes & doli, quibus à principio ANTICHRISTI sedes plena fuit.

Da pacem D O M I N E & unionem Christianorum Principibus ac Magistratibus, ut in omnibus eorum terris suscipiantur eloquia tua, ut hac ratione ANTICHRISTI celsitudo prorsus ubique corruat, & non suscitetur memoria eius in æternum.

His plurimum quadrant, quæ apud Apocalypsim, de hisce Locustis dicuntur, quæ habeant loricas ferreas, & quod uox alarum earundem, sit quasi uox curruum, equis multis currentibus ad bellum.

Ab his loricatorum Locustis cruciatur populi, & omnium uultus rediguntur in ollam, id est, mortificatur, pallentes. Est hic phrasis Hebræa, qua terrorem uolunt designari. Ergo uehementissime terrentur præ timore, ac grauissimis censuris, ab Antichristi factione excogitatis. Recte dicitur, cruciantur, q̄, sicut in superioribus diximus, nemo plus Antichristis, ac pseudoprophetis, fidelium animos discruciat. Enimuero eorum decretis & figmentis sic adligantur,

adligantur & onerantur, ut nullā omnino pacem habere possint. Proinde apud Apoc. dicitur, quod ab hac plaga locustarum sic terrebuntur populi, ut sint mortem quæsituri, quam ueruntamen neutiquam inuenient, desiderabuntq; mori, & mors fugiet ab eis. Etiam ad literam hæc non raro ad ciderunt. Nam ipsæ locustæ sic cruciāt, ut ad desperationem compellant.

Sicut fortes current.

Hypocritæ & mendaces locustæ, fortes non sunt, sed pro talibus haberi uolunt. Nolunt ideo uideri mutabiles, & flecti ab iniquissimis cogitationibus suis. Currunt & progrediuntur in eis, corde obstinatissimo, ut eos quisquam fortes, zelosos, & constantes arbitrari possit. Pugnant idcirco pro suis inuentis, traditionibus, decretis, adfirmantes quod ita facere, ad salutem opus sit. Fingunt zelum Dei quem non plus quàm Satan ipse habent. Dicunt ex eis cōplurimi. Bonus pastor debet animam suam pro ouibus ponere, ideo & nos uolumus agere constanter, pro sponsa nostra. Hanc autē sponsam, estructuras lapideas, & rapacitatem beneficiorum esse putant. Si quæris qua ratione pro ouibus animas suas ponant, reperies, quod nihil omnino minus faciunt, quin potius ipsas oues nunquā nō rodunt, mactāt, & pdunt. Non pro ipsis ouibus agūt, sed p iurisdictione, primatibus, censibus, decimis, primitijs, et oblationibus, sibi nullo iure debitis, quas hæctenus subfurati sunt, & rapuerunt. Enim uero nō nisi rapina est, de Papæ sacrificis loquor, isthæc exigere. At
de

de his quid sit tenendū, in nostra farragine tractauimus.

Pro eiusmodi ergo loricati uermes quasi fortes currunt & agunt. Et nihil est quod non tentent, ut quod decernunt perficiant. Currunt ex ultimis Christiani orbis finibus ad Antichristum, ministrant illi aut tyrannis eius, proci illorum fiunt, & quiduis agunt, fortes se putantes si hac ratione, aliquid uenari possunt, unde in carnis desiderijs uiuant. Exponunt se ob eam causam nonnunquā periculis multis, ut eos insanos credere posses. Et uere insani sunt, nihilq; non conantur, etiam in interitū suum. Hi autem conatus, designantur per id quod sequitur.

Quasi uiri bellatores ascendunt murum.

Quia enim in bellis conscendere murum, est maxime conantis, cum prescriptæ fallaces locustæ, ad ardua nonnulla adnituntur, recte quasi uiri bellatores, murū ascendere dicuntur. Quorum obstinatio & ceruix durissima, atq; indomabile cor, ex eo qd' sequitur, maxime palā fit.

Viri in uis suis gradientur, & non declinabunt a semitis suis.

Subfannat spiritus sanctus, harum bestiarum adrogantiam, uocans eos uiros simpliciter, quales & illi, tamen si nihil minus sunt, uideri uolunt. Sic & non raro in scripturis uocantur iusti, non indigentes poenitentia, sapientes, quod se pro talibus uenditent. Quod autem uiri non sint, patet Apoc. 9. Vbi dicuntur habere faciem tanquam homines, ut scias eos sola facie homines et sensatos, se autem ipsa bruta & reptilia uenenata. Itemq; ibidem
dici=

dicitur, quod mulierum capillos habent, ut hac aptissima similitudine, effœminati illorum adfectus & actus palam fiant.

Ait ergo. Hi uiri, hi pseudosortes, qui potentes erunt ut faciant mala, in uijs suis, non in uijs domini gradientur & c. Via & semita idem signant. Incredulitas & fructus eius, nempe, adfectus & actus reprobi, uia sunt eiusmodi locustarum. In his gradiuntur, contemptis uijs aut semitis Dei altissimi, id est, uera fide, ac fructibus eius, qui sunt puriss. obseruatio eloquiorum dei. Has ergo sanctissimas uias odunt, calcant, & spernunt, nec pro eis declinare uolunt, à proprijs semitis, per quas in suum interitum semper incedunt.

Ego puto non incongrue dictum, si per hos gressus, superbum Antichristorum, pseudoprophetarum, ac hypocritarum incessum, quales nunc uidemus in pompis equitantium, ac processonibus, intelligere uelit. Cui enarrationi multum congruunt quæ subijciuntur.

Vnusquisq; fratrem suum nō coartabit,
singuli in calle suo ambulabunt.

Siquidem in ipsis processionibus, & equitationibus, pauonū superbis gressibus, tractim & ordinate incedūt. Verum prior expositio magis adridet. Nam dictæ locustæ pugnant contra ueritatem dei, & in uijs proprijs obstinatissimæ permanent. Nullusq; eorum, fratrem suum coartat, id est, impedit, ab incessu dictarum uiarum, per
quas

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

quas ambulāt. Nam tametsi proprijs adfectibus uariant, et saepe inuicem litigant, ac cōtendunt, in hoc uerūtamen omnes conueniunt, quod nō nisi in uijs carnis ambulant, & dei semitas odio habēt. Nec eorum quispiam fratrem suum impedit, ut non ambulet in uijs carnis. Nam etiam si alicuius facta displiceant, non potest ueruntamen toto corde cupere, & ad id niti, ut in uijs domini alius ambulet. Nimirum hypocritae, non nisi in hypocrisi & mendacio ueritatem docere possunt. Et si ab alicuius ore, auditur ueritas, cor tamen in mendacio est. Ergo singuli, in calle quidem suo, proprio scilicet inuento ambulant. Verum proximos non coartant neq; impediunt, ut non ambulent, in uijs eorū, nec agūt, ut uias domini perambulēt.

Sed & per fenestras cadent,
& non demolientur.

In Hebræo habetur. In armis stabunt, & utile nō quærent. Stant in armis dum semper cōtradocere parati sunt. Quorum arma non sunt spiritalia, & sancta, ut fidelium, sed carnalia & abominabilia, ut filiorum diaboli sunt. Arma eorum sunt, eumentita potentia, fallaces censuræ. Platonica sapientia, Aristotelis argutiæ, & id genus cuncta. In his armis stant, & non quærent utile, & bonum, quinpotius omnino inutile & perniciosissimum. His namq; armis, nō nisi iacturam ueritatis, Ecclesiae & animarū damna requirunt, tantum abest, ut ex his quidquam utile uelint.

Porro si quis optat, quod in uulgata æditione habetur,
nempe

nempe hoc. Sed & per fenestras &c. Sensus tum is erit. Cum ab altitudine decreti sui, & rei ab eis propositæ deciderint, non proinde franguntur, & demoliuntur. Nam cum aliquando, ad nō nihil arduum conantur, illudq; perficere nequeunt, quasi ab altis fenestris cadunt. Vbi aut non propterea desistunt, sed nouis artibus, ad idem quod ante, aut similia adnituntur, quasi ipso casu, nō franguntur & demoliuntur. Si Antichristi & suorum studia, diligenter attendis, hoc illis quotidianū esse reperies.

Urbem ingredientur, in muro current.

Domos conscendent. Per fenestras intrabunt quasi fur.

Mirabilis est sancti spiritus uehementia, præscripti locustarum populi insanias & studia, mirifice describens. Quemadmodum enim fortis quispiam exercitus, postquam urbes ingressus est, ostendēs quod uicerit, discurret per muros, domosq; conscendit, etiam per fenestras intrans, ita & dictæ locustæ, omnem urbem ingrediuntur, ubiq; discurrunt, domos pupillorum & uiduarum absument, & exhauriunt fere uniuersas diuitias orbis terræ. Vbiq; sibi fabricarunt domos, collegia, arces. Usurparūt Principatus, dominia, regiones. Vbiq; pro maiorib. haberi uolunt. Omnia cōspurcant, suis libidinibus, adulterijs, immūdicis, rapinis, usuris, ac uita p̄ omnia abominabili. Omnes suis mendacijs subiiciūt suæ tyrannidi, & sub dei adfecto nomine, & e mentito ueritatis titulo, nullū non calcant. Omnia sibi licere putant. Urbem quamlibet, magna tene

temeritate, & multi eorū cum pompa nullatenus ferenda ingrediuntur. In quocunq; muro, & loco eminentiori, quasi omnia eorū sint, currūt, iocātur, lasciuiūt. Domos cunctas, Ecclesias scilicet cōgregationes fidelium, quasi eas re sturi intrant, nō per ostiū, sed per fenestras, quasi fures. Imō & fures ipsissimi sunt, hi sunt, de quibus Seruator ait Ioan. 10. Qui non intrat per ostium in ouile ouium, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Ostium Christus est. Ioan. 10. Per quem increduli, ingredi nequeunt, quōd eius spiritu careant.

P A R S S E C V N D A.

A facie eius cōtremuit terra, moti sunt cæli.

Terra carnales & increduli, cæli uero, iusti & fideles sunt. Hinc carnalibus dicitur Hier. 22. Terra, terra, terra, audi uocem domini. De Apostolis uero, & reliquis apostolicis uiris dicitur. Psal. 18. Cæli enarrant gloriam dei. Carnales ergo, qui terra sunt, eo quod cælesti uerbo & spiritu careant, contremiscunt à facie, huius populi locustarum. Terrentur enim, eorum decretis, iussis, censuris, alijsq; oneribus grauissimis. Cæli quoq; id est, spirituales, etiam nonnihil propterea, saltem ante ueritatem apertius cognitam, mouentur. Verum non ita contremiscunt, ut reprobi, quod eos aliquid frenet spiritus sanctus. Quod autem mouentur, non est nisi ob terrorem sanctissimi dei nominis, quem locustæ illæ maledictæ, in hypocrisi & simulatione inculcare, non cessant.

Sol

Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.

Consentit hic uersus cum eo quod apud Apocalypsim capite. 9. legimus: Et obscuratus est Sol & aer, à fumo putei, ex quo uidelicet prodire Locustæ. Sol Christus est, qui Mala. 4. Sol iustitiæ dicitur. Luna uero Ecclesia eius, quæ in Salomonis Canticis pulchra esse quasi Luna scribitur. Cant. 5. Cæterũ stellæ, ueri Prophetæ seu Euangelistæ sunt. Dan. 12. Qui ad iustitiã (non dubiũ quin dei) erudiũt plurimos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Igitur Sol CHRISTVS tum obscuratus est, cum ex fumo putei, id est, fallaci cordis humani sapientia, eius gratia & ueritas abscondita fuit. Luna quoq; tum fuit obtenebrata, cum obuelata extitit Solis, nempe CHRISTI desiderabilis lux. Nimirum non est alioqui lucida, nisi ab ipsius ueri Solis splendore communicato. Multis autem errorum sæculis fuit tam grauis cæcitas, tamq; densissimæ fumi præscripti, hoc est, sensus carnis & mendaciorũ tenebræ, ut non uideretur ipse ueritatis splendor. Stellæ deinde ipsum splendorem retraxerunt, cum habentes ministerium eloquiorum Dei, ipsis postpositis, sua mendacia, traditiones, & figmenta inculcarunt. Hoc est summum omnium malorũ, q, pro luce ueritatis, has tenebras incurrerimus. Et dominus dedit uocem suam, ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia, & facientia uerbum eius. Magnus enim dies Domini, & terribilis ualde.

E Et quis

Et quis sustinebit eum?

Vox Domini, uerbum illius est. Eius autem exercitus
 & castra, hoc saltem loco, uniuersi, per quos implet iudi-
 cia sua. Aliter: Castra eius, Ecclesiae fidelium sunt, qua
 ratione capitur in Salomonis Canticis. Porro ea castra,
 per quae Dominus implet iudicia sua, multoties nituntur,
 ut faciant contra Domini uoluntatem. Verum, quantumli-
 bet aduersum illam nitantur, eam seruant. Inter haec aut
 castra, uel omnium crudelissima sunt illa, de quibus hic ag-
 gitur, nempe exercitus Antichristorum, pseudopropheta-
 rum, & hypocritarum.

Dicit ergo Propheta: Et Dominus dedit uocem eloqui-
 orum suorum, ante faciem, id est, aduentum exercitus sui,
 praescriptae scilicet locustarum sauis gentis, per quam expa-
 uescendo iudicio suo, immisit in orbem praescriptas errorum
 tenebras, & ueritatis splendorem subobscurauit. Hanc aut
 tum praemisit, cum eius aduentum, per ipsum Iohalem, & re-
 liquos Prophetas praenunciauit. Sane ad id hanc uocem pra-
 misit, ante faciem dicti exercitus, quia multa sunt nimis, id
 est, ualde, castra eius. Innumerabiles enim sunt ipsae Locu-
 stae, quarum exercitus tot castra habet, quot sectas, quae se-
 re numerari non possunt, de quibus complures adnumerau-
 mus in nostris Commentarijs in Minoritarum regulam, a li-
 bri principio. His castris usus est, et adhuc utitur Dominus
 ad puniendum impios uerbi sui contemtores, ut qui eiusdem pu-
 ritatem abiecerunt, ab ipsis impostoribus doctrinis demonio-
 rum satientur. Sunt aut fortia, diebus quibus tenebrarum po-
 estas,

testas, illis fuit à Domino cōcessa. Ad quid fortia? Ad seducendū, discruciantum, & adfligendū electorum Ecclesiā, & ad inducendū in errorē, reprobatorum synagogas, faciunt que uerbum Domini, implent scilicet uocem, quam ante illorum faciē misit. Omnia enim prædicta sunt, quæ per has locustas fiunt.

Ad id aut uel multo maxime de illis prædictū est, ut agnosceretur, quàm horribilis esset dies, siue tempus flagelli earum, quo scilicet Deus iustiss. per easdem nos uoluit discruciare. Magnus quippe, & terribilis admodū est hic dies. Et quis sustinebit eum? Quæ. di. Nemo unquam satis enarrarit grauitatem malorū, quæ ab ipsis Locustis fient. Nam tam horrenda erunt, ut nullus sanæ mentis atq; iudicij, ea sustinere possit. Porrò is dies, Domini esse dicitur, quòd in eo iudicia sua perficiat.

P A R S T E R T I A.

Nunc ergo dicit Dominus: Cōuertimini ad me, in toto corde uestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda uestra, & non uestimenta uestra. Et conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?

E 2 Quæ

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Quæ filijs Israëel hic dicta sunt, omnibus quoq; Ec-
 clesijs fidelium dicta esse, nihil est dubitandum. Igi-
 tur per nunc, omne tempus, quo ad Deum cōuer-
 ti debemus, sed tum potissime, cum sentimus mortiferum
 illud Locustarum flagellum, est intelligendum. Quod au-
 tem ad conuersionem spectat, obseruandum primo, quod
 nemo potest ad Deum seipsum conuertere, nisi Deus pri-
 us se ad illum conuerterit, illustrando eum & trahendo.
 Nemo potest uenire ad eum, nisi tractus. Ioan. 6. At tra-
 hit Deus, cum se ad nos conuertit. Imò eius tractio, sua ad
 nos conuersio est. Cæterum tum ad illum uenimus, cum ue-
 re cōuertimur, hoc est, in eū credimus. Imò id ipsum quod
 credimus, & ipse aduentus, est nostra ad eum conuersio.
 Viscera deinde misericordiæ eius mirifice aperiuntur,
 dum nos ipsemet inuitat, ut cōuertamur in toto corde &c.
 Ex hoc loco liberi arbitrij adsertores arguantur. Si ni-
 hil libertatis ad conuersionem habet homo, friget is ser-
 mo, & similes cuncti. Frustra enim quicquam præci-
 pitur illi, cui implere iussionem impossibile est: Sed e-
 iusmodi argutijs omnibus, satis atque abunde respondi-
 mus, libro de Arbitrio hominis uere captiuo, qui sub
 quartum Osee caput adpendet. Inuitat D E V Si-
 mō præcipit, ut conuertamur ad eum. Scit tamen im-
 possibile esse, ut à nobis post eum uocantem properemus.
 Sed uult, ut agnoscamus, quàm nullæ sint in eiusmodi,
 omnes uires creatæ, & quæ nos uult facere, in nobis
 implere dignatur.

Sed quid

Sed quid est, conuerti ad Dominum in toto corde suo? Est illi soli fidere, eum tantum Seruatorem agnoscere, ac in eum solum sperare. Nam in alium quempiam, aliter quam in eo habere fiduciam, cultus Idololatriæ est. Ieiunium aut, fletus, & planctus, signa sunt toto corde cõuersorum. Ieiunium intellige, nõ ab Antichristi factione somniatum, sed quod tibi suggererit spiritus ueritatis, scilicet ut mouente spiritu sancto, & ex fide, abstineas à nonnullis, quæ alioqui manducares, aut biberes. Porro ieiuniorum unus, & idem certus est regulator spiritus sanctus. Nemo enim specialem regulam dare potest, quæ omnibus cõgruat. Ieiunium igitur est temperantia omnium, quæ ad corpus attinent, maxime autem circa esum & potum, & hoc semper est in cunctis uere conuersis. Est itidẽ ieiuniũ paulominus à consuetudine, ex his sumere, sicut spiritus sanctus ex fide mouet. Et hoc ieiunium, non est semper comes ueræ conuersiõis. Nimirũ absq; illo est uera conuersio. Quòd si quis nõ ex fide, istiusmodi ieiunia seruat, peccat. Nam omne quod non est ex fide, peccatum est. Ro. 14. Itidem quisquis non fide externe ingemiscit, peccat, sanctum uero & bonum opus est, dum est ex fide. Verum is externus gemitus non requiritur, ut uera sit conuersio, sed internus. Siquidem omnis uere conuersus, non potest non dolere, super abominationibus cunctis, id est, his, quæ à Dei uerbo dissentiuunt.

Adnectit, non uestes, sed corda scindenda. Per id subannat hypocrisim, eorum qui olim in populo Israël finge-

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

bant se dolere pro blasphemijs diuini nominis, et in signū
mœroris ementiti, ubi aliquid dicebatur, quo putarent se
aliquid gloriæ consecuturos, si à cæteris dolere uiderentur,
scindebant propria uestimēta sua, ut impius Caiphas Mat
thæi. 26. Scindendum est igitur cor, id est, dolor est in eo
sumendus in ueritate, non in fictione, pro his, quæ Dei pla
citis ac decretis aduersantur. Hic locus maxime facit con
tra Antichristi concionatores, qui inter prædicandum, ge
mitum & dolorem arte simulant. Euertat Deus hypocri
tanum Synagogas. A M E N.

Vocat igitur Deus peccatores ad se, ut auertatur à uijs
eorū pessimis, & ad eū conuertatur, & postmodū S. Pro
pheta idem inculcat, prædicās multipharie bonitatem Dei
excelsi, dicens: Et conuertimini ad Dominū Deum uestrū,
q̄ scilicet totū se uobis tribuit, et cui de uobis summa est cu
ra. Relinquit autē Deos alienos. Nā ipse solus est, ad quem
uos cōuertere debetis. Quia benignus etc. Sēsus aptus est,
tantū id obseruādum, q̄ Prophetarū domini est, summe in
culcare bonitatē, et misericordiā eius. Verū de speciali de
creto illius, nihil definire præsumūt. Proīde Iohel, quāuis
plurimū Dei misericordiā magnificarit, tamē confestū sub
iūxit: Quis scit si cōuertatur &c. Qu. di. Scimus quidem
eū semp esse bonum, etiā si nō faciat, quæ uolumus, et cōcu
piscimus. Precādus est autē sine intermissiōe, q̄ forsan iudi
cij sui rigorem tempabit. Attamen certos uos reddere ne
queo, quid facturus sit specialiter. Nā quæ in eius nomine
prædixi, si definita sunt apud eū, omnino nō fieri nequeūt.

Si

Si aut tantū cōminatio est, ut illud Ionæ. 3. Adhuc quadra-
ginta dies, et Niniue subuertetur, tū si ex fide postulaueri-
tis, benedictionē eius, indubie illam tribuet. Verū quia ne
scimus, definitio an cōminatio sit, tempero sermonem, ne
quid specialiter uobis pmittam. Tantū id certum est, q, o-
mnium uere ad se conuersorū miserebitur, & illis postula-
tibus suam benedictionē, id est, id quod magis expedierit,
non abnegabit, quin potius, eandem post se relinquet, id
est, tribuet his qui plena fide post eum ueniunt, id est,
ab eo ipsam benedictionem petunt.

Sacrificiū & libamen domino Deo nostro.

Sermo hic truncatus est, aliquid de syderans, quo ple-
nus sensus inueniatur. Verum de eo quod adiiciendum
est, uarij uarie sentiunt. Putat unus, de sacrificio & liba-
tione legis capiendū, sic: Offeratur Domino Deo, Deo no-
stro sacrificium & libamen. Alij aliud quiddam putant.
Ego ex textus circumstantia aliter sentio, nempe q, ipsa
uera conuersio, de qua hic agitur, sit libamen & sacrifici-
um istud. Ideo non dubito textum hunc sic enarrandum,
cum hac suppletionē, hoc est, sic: Hoc est sacrificium &
libamen, Domino Deo nostro. Propheta enim, postea-
quam ad ueram conuersionem adhortatus est, subiunxit:
Sacrificium & libamen &c. Verbum autem substantiuū
subintellexit, more Hebræorum, quibus est commune, idē
uerbum dimittere, tamen si illud intelligunt. Hoc est sacrifi-
cium illud, de quo Psal. 49. Sacrificium laudis honorifica-
bit me. Deum enim laudat, & uere quidem, qui se peccato

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

rem agnoscit, & confitens bonitatē Dei, ab eo misericordiā petit. Hęc est uera & insignis Dei laus, non boatus hypocritarum. Hoc est sacrificium Deo adceptiss. in odorem suauitatis. De quo etiam Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus cōtribulatus, cor contritū & humiliatū Deus non despicies. Et uersu uno interiecto: Tunc adceptabis sacrificium iustitię.

Canite tuba in Sion, sanctificate ieiuniū, uocate cōtū, congregate populū, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes ubera.

A capitis huius principio, uidimus quid sit illud: Canite tuba in Sion. Quę aut sequuntur, usq; ad eū locum, Egrediat̄ & c. priore ca. sunt dilucidata, pauciss. demptis, nēpe eo quod dicit: Sanctificate Ecclesiam. Sanctificatur Ecclesia, cū in Dei nomine congregantur. Nam ipsa congregatio, Ecclesia est, quę si nō congregaretur in nomine & uerbo Domini, Ecclesia malignantiū & Satanae foret. Ergo quoties fideles congregantur ob rem piā, quę scilicet cōsentit eloquijs Domini, ut ad orationē, ad uerbum audiendum, ad participandū mensę Domini, ad definiendum quā ratione populus sit regendus in Domino, & ad id genus alia, Ecclesia sanctificatur, alioq; nō nisi pphanari potest, ut dū nonnulli (quod Antichristi faciunt) conueniunt ad aliquid definiendū contra eloquia Dei, et quę huiusmodi sunt, interdiciendū, iubendum, statuendū & c. Pręcipit quoq; Dominus, etiā paruulos & sugentes ubera congregari,

gari, ut qui sicut & senes in Dei populo supputantur, orationis, & benedictionis fidelium participes fiāt. Tum autē cōgregantur, cum p̄ illis oratur, eisq; in Domino benedicuntur. Itidē cum olim circūcidebantur, & in templo præsentabantur, & cum nunc baptizantur. Non enim sunt congregandi ad audiendum uerbum Domini.

Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.

Possunt sponsus & sponsa, in cubili et thalamo, seu uelamine suo conuerti ad dominū. Quid ergo praecepit illis? Egrediatur &c. Hoc esse puto, quod Paulus ait. 1. Corī 7. Ne fraudetis uos inuicē, nisi si quid ex consensu, pro tempore, ut uacētis ieiunio & deprecationi. Noli ex hoc putare, q̄ non possit esse bonū ieiunium, aut uera deprecatio, si sponsus & sponsa cōueniunt (Semp̄ enim orare possunt fideles, etiā inter castos amplexus, et prandia Christiana) sed laudabile est, ut cum se continent à cibis, simul & ab ipsis contineant amplexibus. Quod si nolunt, nō proinde uituperabile est. Egrediantur ergo sponsus & sponsa à suis cubilibus, sed ex consensu & fide. Quòd si aduruntur, proindeq; illis egredi non licet, ut palàm est. 1. Corin. 7. tū sic cōueniant, quasi non cōuenirent, sic habeant uxores uiri, & illae maritos, quasi non habentes, sicq; utantur hoc mundo, quasi non utantur. Præterit enim figura huius mūdi, ut ibidem Paulus ait. Egrediantur autem semper, ut Ecclesiam sanctificent, cum cæteris, ad uerbum audiendum, ad mensam Domini, ad tractandū de negocijs regni Chri-

E s sti,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

sti, ut qui è fidelium Ecclesia sunt, cum reliquis fidelibus conueniant.

Inter uestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatē tuam in opprobriū, ut dominantur eis nationes. Quare dicunt in populis, ubi est deus eorū?

Non possum reprobare, quòd nonnulli Iudeorum dixerunt, nationes istas de quibus hic agitur, & contra quas sacerdotes precaturi dicuntur, Gog & Magog esse, de quibus plenissime apud Ezechielem cap. 38. & 39. Deo uolente, agemus. Quæ certe, quantum cõijci potest, non est aliæ gens, quàm ea quæ per dictos uermes & rubiginem capitur, nempe Antichristi omnes, cum pseudoprophetis & hypocritis. Verum non subscribo multis nenijs, quas de istis Gog & Magog ipsi Iudæi fabulantur. Ad hæc nota, quæ in prologo diximus.

Igitur ad huius loci enarrationem, quatuor sunt hic obseruanda. Primum, quòd ueri Israëlitæ sunt omnes fideles, ut sæpius diximus, & probauimus. Secundo, quòd ipsius ueri Israëlis templum, est ipsa electorum Ecclesia, in qua sunt uestibulum, altare, &c. hoc est, uniuersa, quæ ad Dei cultum spectant. Quomodo autem singula, quæ in templo erant, ad Dei Ecclesiam referantur, & perfectius in ea sint, quàm olim in templo Salomonis, in ultima Ezechielis uisione, Deo propitio explanabimus. Tertio, quia uesti-

quia uestibulum seu porticus, & altare holocausti, intra ambitum templi erant, ipsum autem templum Ecclesia est, inter ipsum porticum & altare, flent & orant, qui intra Ecclesiam id faciunt. Quod tum est, dum ex fide id facimus. Quarto, sacerdotes & ministri domini, sunt omnes ueri fideles, sicut ipsis omnib. dicitur. 1. Pet. 2. Vos aut genus electum, regale sacerdotium. Et Apoc. 5. Vniuersi fideles Christo dicunt. Fecisti nos deo nostro reges & sacerdotes, et regnabimus super terram. Nimirum ex fide omnes sunt per Christum in sacerdotes consecrati, & ideo illius consortes esse dicuntur. Psal. 44. Vnxit te deus, deus tuus, oleo letitiae, praesortibus tuis. Ex his facilis erit enarratio textus.

Inter uestibulum & altare, id est, intra Ecclesiam, & ex fide, plorabunt sacerdotes, ueri scilicet fideles, qui sunt ueri ministri & serui domini, & dicent. Parce domine &c. Enimvero fidelium quisque, summe est sollicitus, pro dei populo, qui est uerus Israel, & Ecclesia Christi. Sed quid orant? Ne det hereditatem suam, nempe, ipsum populum, in opprobrium istud grauissimum, ut praedictae locustarum gentes, eis dominantur, sicut heu multis saeculis extitit. Haec est oratio, quae summe nostro saeculo necessaria est. Et certe quisquis ex deo est, idem precatur. Dolet enim, & uehementer quidem, quod tam insaniant, haec gentes abominabiles, blasphemantes dominum, & ueritatem eius, dicentesque de sanctis & fidelibus. Vbi est deus eorum? Arbitrantur enim, deum odire fideles, cum mox a malis

non

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

nō eripiūtur. Sic cæci iudicāt, secundū carnem, putantes se habere deum præ cæteris, cum maxime illi sint abominabiles. Aiunt ob id, iusti multa cū fiducia domino. Quare dicunt &c. Hoc est quod dicitur illis ab eo. Esa. 1. Venite & arguite me, dicit dominus. Hi sunt de quibus (quantum arbitror) habetur Apoc. 20. In his secunda mors nō habet potestatem, sederunt sacerdotes Dei & Christi &c. Aliquid mysterij hic latet, in quod irrumperere minime audemus. Oret autē pius lector, ut id nobis Deus aperire dignetur, quo electorum Ecclesiæ consolentur, in eo cum agnouerint occulta sapientiæ eius.

P A R S Q V A R T A.

Zelatus est dominus super terram suam, & pepercit populo suo. Et respōdit dominus, & dixit populo suo. Ecce ego mittam uobis frumentum, & uinum, & oleum, & replebimini in eis. Et non dabo uos ultra, obprobrium in gentibus. Et eum qui ab Aquilone est, procul faciam à uobis, & expellam eum in terram inuisam & desertam.

Non facile quisquam percipiet hos locos, nisi diligenter expendit, quæ apud Ezechielem cap. 38. & 39. & Apoc. 20. De Gog & Magog tractantur.

Etantur. Perdentur siquidem ut illic habes, tum uel multo
 maxime, cum perdere sanctos uoluerint. Igitur Dei
 Ecclesia, terra eius est, pro qua zelatus est dominus, cum
 illum ex fide precatur. Hic est amabilis domini populus,
 cui parcit, quem iuuat, & de quo illi magna est cura. Pro
 inde illi oranti respondit, et dixit: Ecce ego mittam uobis
 frumentum, uinum, & oleum, hoc est, suauissimis
 eloquijs meis, quibus quasi frumenti adipe reficiemini et
 roborabimini, quasi uino optimo, letificabuntur, corda ue
 stra, & quasi oleo consolabimini, ac replebimini in eis.
 Et non dabo uos ultra opprobrium in gentibus, id est, in
 credulis. Nunquam enim uobis dominabuntur. Et eum qui
 ab aquilone est, nempe, Gog, cum uniuersis qui cum eo
 erunt, quem à lateribus aquilonis uenturum, prædixit
 Ezechiel, locis præsignatis, procul faciam à uobis, id est,
 non uos cõtinget, nihil uobis nocebit, me uos protegente,
 quin potius illum exterminabo, & expellam in terram in
 uiam & desertam, id est, in interitum sempiternum, &
 lacum sulphuris & ignis. Apoc. 20. Ibi dicitur, quod gen
 tes Gog & Magog, sunt super quatuor angulos terræ,
 quomodo ergo eos uenturos ab aquilonis lateribus, Eze
 chiel prædixit? Certe uterq; ueritatem scripsit. Nam &
 ad literam in quatuor terræ angulis, id est, in tota terra
 sunt, & tamen ueniunt à lateribus aquilonis. Dum enim
 non ab austro, sensus spiritus sancti, sed à carnis sapien
 tia pietati opposita, ad resistendum sanctis inducuntur,
 quasi

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

quasi ueniunt à lateribus aquilonis. At de his plura, uolente domino, apud ipsum Ezechielem.

Faciem eius contra mare orientale, & extremum eius, usq; ad mare nouissimum.

Quidquid dictum fuerit à nonnullis, de mari mortuo, ac illo quod est contra Aegyptum, ego sentio aliter omnino dicendum. Nam eiusmodi enarratio ab eo processit errore, quod nonnulli putarunt, hunc librum, externam tantum uermium plagam tractare. Igitur mare orientale & occidentale, extremi orbis terræ fines sunt. Ideo huius loci, hic est sensus. Gog à uobis summe elongabitur. Enim uero dum longe fiet, & eijcietur à fidelibus, ne illis quidquam noceat, quasi faciem ab oriente, extremum uero ab opposita & eadem ultima orbis parte habebit. Ergo proiectio eius hac locutione designatur. Sic & non raro, qui aliquid abijcere uolunt, dicere consueuerunt. Projiciam te in mare uel flumen, & tamen hac locutione id tantum uolunt. Projiciam te à me. In lacum autem sulphuris & ignis proijcietur Gog, ut ex Apoc. est cernere. Et ad id conuenit, quod subiungitur.

Et ascendet fetor eius, & ascendet putredo eius, quia superbe egit.

Non abnego fetorem externum siue corporeum, è damnatis Gog nephandis exercitibus proditurū, uerum id minime adsero. Certum tamen est, quod ipsorum castra, domino & sanctis eius abominabilia sunt. Verū illorum abominationes, quàm deo sint odibiles, nō agnoscuntur,

tur, donec à sancto spiritu, palam fiāt, & iudicentur. Cū autem à domino reprobantur, ut est dies hæc, & sensim fulguribus & tonitruis ac igne eloquiorum dei super eos cadentibus uastantur et corruunt, cunctis hæc noscentibus quasi fetor & putredo sunt. Et idcirco illos abominantur. Noli timere terra, exulta, & letare, quoniam magnificauit dominus, ut faceret. Nolite timere animalia regionis. Quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & uinea dederunt uirtutem suam. Et filij Syon exultate & letamini in domino deo uestro, quia dedit uobis doctorem iustitię, & descendere faciet ad uos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio. Et implebuntur arę frumento, & redundabunt torcularia uino & oleo. Et reddam uobis annos, quos comedit locusta, bruchus, rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam misi in uos.

Visum fuit in præcedētibus, quàm ingemuerit dei terra, id est, Ecclesia, ob plagam seuissimam gentis locustarum, id est, Antichristorum & hypocritarum ac pseudo prophetarum, quanq̃; pro illa auferenda sacerdotes, id est, fideles precentur. Visum fuit itidem, quod misericordiam spoponderit, & pro uerbi fame, sit eius abundantiam donaturus, nūc abunde cōsolationis uerba subiungit, dicens. Noli timere sed confide, & nihil dubites o terra,
Eccle=

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Ecclesia scilicet, exulta & letare (letitia interna est exultatio uero signum letitiae quae est ab intus) quoniam dominus magnificauit, magna facere decreuit in aeternitate, ut ea faceret in tempore. Nolite timere animalia regionis, quae desiderastis pascua & fontes eloquiorum Dei, supra cap. 1 quoniam germinauerunt speciosa deserti, id est, eloquia Dei, in quibus sita est mundi pulchritudo, quod absq; illo, omnia sint confusa, & abominabilia coram domino, & sanctis eius. Et lignum, qui uerbi minister est, dabit fructum suum, dum non iam mendacia & traditiones hominum, sed purissimi dei sermonem annuntiabit. Ficus ipsi ministri sermonis, & uinea fidelium Ecclesia, uera domus Israel, dederunt uirtutem suam, secundum eundem sermonem, & ex fide uiuentes, ac operantes.

Et filij Sion fideles exultate & letamini in domino deo uestro, non in carne, qua dedit uobis doctorem iustitiae, dominum IESUM Christum. Ipse enim solus est uerus doctor. Matth. 23. Magister uester unus est Christus. Ipse namq; solus, a seipso ueritatem docet. Nos autem cum a nobis docemus, mendacium loquimur, quod omnis homo sit mendax. Psal. 115. Unde & tum falsi doctores, ac pseudoprophetae sumus. Quod si recta docere uolumus, id sub Christi discipulatu faciamus necesse est. Ergo non doctores proprie, sed Christi summi doctoris repetitores (ut loquuntur) sumus. Septuaginta transtulerunt. Dedit uobis escas iustitiae. Siue autem doctor, siue escas dixeris, is locus sicut in prologo diximus, maxime ostendit, quod
omnis

omnis abundantia quæ hic promittitur, uerbum cælestis
 & Christianæ iustitiæ est. Nam si tantum de terræ fructi-
 bus hic agitur, profecto incongrue, uel de iustitiæ docto-
 re, aut de escis ipsius, incidenter & absq; proposito tra-
 ctasset. Liquet enim quod una est prophetia, & domini
 loquentis sermo, quidquid hic habetur ab eo loco. Et re-
 spondit dominus &c. Ergo frumentum, uinum & ole-
 um speciosa deserti, fructus ligni, ficus & uineæ, alimen-
 ta iustitiæ, siue sermones ipsius doctoris iustitiæ sunt. Por-
 ro cum iustitiam audis, de una tantum intellige, quæ sola
 uera est, nempe, dei. Nam quod ad hominum iustitias
 spectat, omnes sunt sicut pannus menstruatae. Esa. 64.
 Hoc est corruptissimæ & pollutissimæ. Nimirum, quid
 nisi peccata sunt?

Demum ipse iustitiæ doctor, descendere ad uos faci-
 et, imbrem matutinum & serotinum, nempe, sermonem
 dei, quem animalia siue bestie agri, id est, fideles, quasi
 sicca area sitiunt, ut supra cap. 1. Is autem sermo, oportu-
 nissimis ac utiliss. imbribus, matutinis & serotinis recte
 adsimilatur, quod nunquam absq; fructu pure annuncie-
 tur, ut abunde habes. Esa. 55. Descendit imber iste abun-
 de, dum C H R I S T V S prædicauit, & in
 Pentecoste, ac per Apostolos & sanctos dei, qui mox
 secuti sunt C H R I S T V M. Demum non ita
 descendit, & facta est sterilitas & fames uerbi domini,
 sæculis multis. Tandem redijt gratus & necessarius im-
 ber,

F ber,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

ber, dum miserante domino, pura uerbi prædicatio redijt, & in salutis æternæ fructum electorum mentes infundit ac inebriat. Redijt ergo iste imber nunc, sicut à principio, id est, Christi & Apostolorum temporibus fuit. Quorum etiam temporibus descendit ipse imber, sicut à principio, super Abraham, Isaac, Iacob, Mose, & Prophetis ac sanctis dei omnibus, imò copiosius, sublimius, & apertius quàm tum. Nam omnes à minimo usq; ad maximum, quotquot uere credunt, à domino erudiuntur.

Reuelatis autem & descendentibus sanctissimis imbribus istis, area & torcularia, id est, fidelium Ecclesiæ, implentur & redundant frumento, uino & oleo. Ecclesia dei, recte area & torcular dicitur. Nimirum dum qui ex ea sunt, sermones dei, minutatim & diligentissime scrutantur, quasi triticum in area, & uuæ ac oliuæ in torculariteruntur & calcantur, ut ab eis fideles suscipiant robur & satietatem quasi à frumenti adipe, cordis lætitiā quasi ab optimo uino, unctionem & consolationem, quasi à purissimo oleo.

Datur autem nobis tanta uerbi abundantia & copia, ut iam reddantur Ecclesiæ, anni quos expauescendo altissimi iudicio, & maxima fortitudine, præscripta locustarum ferocissima gens uorauit, & absumpsit. Dum enim æternæ ueritatis lux, nobis dei misericordia copiosissime reuelatur, quasi nobis rependuntur ipsa secula, quæ ab ipsis locustis, errorum ac mendaciorum tenebris uastata fuere.

Et

Et comedetis uescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen domini dei uestri, qui fecit mirabilia uobiscum. Et non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis quia in medio Israel ego sum, Et ego dominus deus uester, & non est amplius. Et non confundetur, populus meus in æternum.

Incūlcāt ubertatis desideratissime, eloquiorum dei, uim & efficaciam. Quinq; autem quæ in credentibus agit, hic posuit. Primum quòd dum illis uescuntur, hoc est, dum illis firmissime credent, satiabuntur. Hæc aut̄ satietas, nunquam non secū habet ueram pacem, quæ omnē sensum exuperat, ac gaudium et lætitiā spiritus sancti.

Secundum, est laus uera & benedictio nominis domini, qui fecit mirabilia hæc, nempe, quòd reddidit nobis duplicia, pro annis, quos sæuissimæ locustæ uorauerunt. Est autem nomen domini, nō aliqua dictio, quæ scribi possit, ut iudæi fabulantur, de nominibus dei, tot uel tot literarum, & nonnulli seducti adseruerunt, de hoc uocabulo IESVS, supersticiosissima somniantes, sed ipsa præclarissima fama domini dei nostri, & unigeniti eius domini IESV CHRISTI, quòd scilicet, est summe pius, clemens, misericors, sapiens, quòd solus est, iustus, seruator, bonus, sanctus, uerax, imò ipsa ueritas,

F 2 quòd

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

quod solus est omnipotens, omnia uidens, et prospiciens, ac cui de omnibus est cura & prouidentia summa, & similia cuncta, hæc toto corde profiteri, est diuini nominis perfectissima laus, quæ non in ululatibus & boatibus, sed in purissima fide, ac forti & integerrima, diuinæ gloriæ ueritatisq; eius professione, ac moribus ipsi ueritati conuenientibus, est sita.

Tertium, fidelibus qui sunt domini populus, non erit in æternum confusio, quin potius gloria sempiterna. Confunduntur, hi quibus est mens intranquilla, tribulatio absque consolatione, peccata ac tandem mors, & perditio sempiterna. Sic confunduntur, apostatæ & increduli. Cæterum ueri fideles, quia etiam inter medios ignes & flammæ, pacem (quam caro non potest capere) habent & tranquillo pectore uiuunt, nec illis quidquam nocent, mala & flagella sæculi huius, quod deus eos sui spiritus consolatione dignetur, ac quia fide peccatum, mors & infernum, à CHRISTO uincuntur, non confunduntur in æternum.

Quartum, à domino erudiuntur & inlustrantur, & tam multum quidem, ut uere docti sint, & dei scientiam habeant. Quæ in hoc maxime est sita, ut sciamus quod in medio Israelis, id est, Ecclesiæ sanctorum, semper manet, ad eos iuuandum, et malis eripiendum, consolandum, seruandum, & protegendum, atque proinde in eum solum iactemus nostrum cogitatum, & fiduciam ac spem habeamus,

beatissimus. Summa, hæc est scientia dei, scire & nosse ac firmissime credere, quod à solo deo, per unigenitum eius dominum IESVM CHRISTVM, sit uera salus, pax, ueritas, iustitia, gaudium, & omne bonum.

Quintum, non sunt illis ultra idola, sed unum deum profitentur, in quem solum fidunt & sperant. idola habent increduli omnes. Quæcunq; res non in domino amatur, & non secundum illum, eidem fidentur, idolum est. Tum uero idola cuncta abijciuntur, cum fides sincera ad fuerit. Beatus autem populus, cuius est dominus deus eius. Nimirum non confundetur, in sempiternum.

Capitis Summarium. Primum, agit de missione diuini spiritus, ac signis mirificis. Secundo, de iudicio quo domini spiritus, impios & hypocritas, ueritatis sermonibus damnat & reprobat. Tertio, præcipitur, ueris Prophetis seu Euangelistis, ut ad idem spiritus & uerbi dei, iudiciū omnes uocent. Quarto, quid sequatur ad idem iudicium.

C A P V T III.

P A R S P R I M A.

F 3 Et

Erit posthæc, effundam spiritum meum super omnem carnem. Et prophetabunt filij uestri, & filia uestra. Senes uestri somnia somniant, & iuuenes uestri uisiones uidebunt. Sed & super seruos meos, & ancillas, in diebus illis effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in caelo & in terra, sanguinem, & ignem, & uaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam ueniat dies domini magnus et horribilis.

Quoniam apud Hebræos caput tertiū hic initium sumit, & nos idem faciemus. Igitur duobus præcedentibus ostendimus, quod maxime Iohel prophetaru, de perniciosissima uerbi dei fame, quæ populi locustarum causa, multis heu sæculis fuit, ac de summe desiderabilium iustitiæ alimentorum, nempe, eiusdem uerbi abundantia, quæ nunc dei misericordia cœpit. Nunc multi negotij res est, declarare quomodo his quæ diximus, hic posita iungantur. Liquet enim Acto. 2. quod Petrus hæc impleta esse dixit. Et uere impleta sunt, Christi & Apostolorum temporib. Nam Christi discipulis, etiā nonnullis cum signo uisibili effusus est spiritus sanctus, & pro

& prophetarunt, id est, Euangelistæ facti sunt, multi filij
 Israël, atque etiam filiae, ut Anna Prophetissa Lucae se-
 cundo, et quatuor uirgines filiae Philippi Euangelistæ, A-
 ctorum. 21. Senes aliquot ex eis, per somnia multa, Deo re-
 uelante agnouerunt, ut Petrus Acto. 10. & Paulus Acto-
 rum decimo sexto. Indubie quoque & iuuenes aliqui
 uisiones uiderunt. Deditq; signa & prodigia D O M I-
 N I V S, tam in caelo, quàm in terra, è caelo mittens lin-
 guas igneas, in terra uero multa prodigia faciens per ser-
 uos suos. Item Christo passo, mox Sol uersus fuit in tene-
 bras, & sicut non dubito, Luna in sanguinem. Hæc sunt
 prodigia è caelo. Ab hora quippe sexta usq; ad nonā, tene-
 bræ factæ sunt super uniuersam terram. In terra aut pro-
 digia facta sunt, cū uelum tēpli scissum est medium, & pe-
 træ scissæ sunt, ac monumenta aperta sunt, multiq; surre-
 xerunt. Matth. 27. Mar. 15. et Lu. 23. Ergo hæc, sicut prædi-
 ximus, impleta sunt, & id qdem antequā ueniret dies Do-
 mini magnus & horribilis, siue inlustris, ut qdam uertit.
 Iste insignis dies, est dies resurrectionis Domini, maxime
 aut tempus, quo palàm facta est per Apostolos & discipu-
 los eius gloria Euangelij sancti.

Nunc igitur, si hæc adimpleta sunt, quomodo priori
 enarrationi congruit hoc? Et erit post hæc &c. Nam
 de ea maxime uerbi fame, quæ fuit post Apostolorum dies,
 hanc I O H E L I S prophetiam explanauimus. Con-
 fidimus autem quòd ista expositio omni alia, textui germa-
 nior sit. Dicimus primo, quòd multa de ultimis seculi

F 4 diebus

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

diebus prædicta fuere, quæ mox etiam CHRISTO adueniente impleta sunt, quemadmodum propheta de Helie aduentu ante diem extremi iudicij, in uiris sanctis, Prophetisque fidelissimis Helie spiritum habentibus, implenda est, & tamen fuit impleta in Ioanne, qui uenit in spiritu & uirtute Helie Lucae primo, quod loco suo, nempe Malachie quarto palam faciemus. Item Osee secunda multa prædicuntur de ultima Israëlis conuersione, qua, ingressa in Ecclesiam gentium plenitudine, ipse quoque; Israël introibit, quæ tamen in uniuersis uere credentibus impleta sunt. Et ita de multis alijs locis. Simile iudicium est de hoc loco. Ego non crediderim grauiorem uerbi famem unquam fuisse, illa quæ ab Antichristis, pseudopropheta et hypocritis, in orbe Christiano multis sæculis fuit. Et post hanc, cepit Deus nostri misereri, & multos implet suo spiritu, ut redeunte ueritate, procul absit ipsa fames, & maligna Locustarum gens longè fiat, & exterminetur.

Verum etiã ante CHRISTI aduentum fuere non pauci ex præscriptis maledictis ac reprobis uerbis, in populo Israël, qui in eum ueritatis perniciosissimam famem induxerunt, ita ut CHRISTO in carnem ueniente uix esset in terra quicquam synceræ doctrinæ ac fidei in populo, demptis paucissimis. Pseudo nanque propheta, scriba, & Pharisei, suis fabulis, traditionibus, & commentis, omnia inuerterant, & confuderant, tametsi

met si nunquam in eiusmodi tam insanierunt, ut execrabilis Antichristi factio, ac Scribæ, & Pharisei, qui ab annis multis, nempe toto dictæ famis tempore fuerunt. Ideo si de illis quis præscripta enarrat, quod & congruet, quemadmodum in prologo diximus, tum oportet, ut eum locum capite secundo: Similis ei non fuit &c. sic enarret. Similis, populus scilicet, non fuit à principio, & post eum non erit, usque in annos generationis & generationis, id est, usque post aliquot generationes, post quas non negat futurum similem, immo crudeliorem, qualis est in ueritate populus Antichristi, itidem falsi Iudeorum Propheta, qui in hunc usque diem eos seducunt, & à ueritate auertunt.

Igitur postquam præcessit in populo Israël uerbi grauißima fames, missa fuit à Domino per CHRISTVM uerbi abundantia, & impleta sunt quæ tractamus: Et erit post hæc &c. Verum & nunc implentur, & implenda sunt, post diutinam & eandem longe durissimam ueritatis famem, quæ ab annis non multis, post Apostolorum ac discipulorum tempora cœpit.

Perfecte ergo fuit impleta hæc prophetia, CHRISTI & Apostolorum diebus. Perfecte quoque denuo implebitur, priusquam DOMINVS ad iudicium ueniat. Et quidem hoc nostro sæculo cœpit DEVS procul à nobis facere antedictas Locustas, & mittere nobis abundantiam ueritatis suæ, quæ tot sæculis abscondita fuerat.

erat. Donat quippe nobis suauissimas diuinæ iustitiæ escas, de quibus præcedenti capite tractatum est.

Dicit igitur: Et post hæc, id est, posteaquam à uobis pepulero dictos uermes & rubiginem, id est, populum Locustarum, & dederò uobis doctorē, et alimenta iustitiæ meæ, tum effundam spiritum meum super omnē carnem, id est, electos. Siquidem electi sunt omnis caro, cui infunditur spiritus sanctus. Et prophetabunt filij uestri, & filiae uestrae, id est, credentes utriusq; sexus, quibus spiritus ueritatis infunditur, ita ut ualeāt prophetare, id est Euāgelizare. Siquidem prophetia, ueritatis prædicatio est, ut liquet. 1. Corinth. 14. Senes uestri & c. Hæc indubie implentur sæpe in ueris fidelibus, etiā si ignoremus. Sed & super seruos meos, & ancillas & c. Serui Dei sunt, quicumq; uere credūt, sint uiri aut mulieres. His spiritus ueritatis infunditur. Alioqui nec crederent, nec serui aut ancillæ Dei esse possēt. Et dabo prodigia in cælo & c. De his prodigijs uel signis extremum iudicium præcessuris, agitur Matth. uigesimo quarto, Mar. decimo tertio, & Lucae uigesimo primo, de quibus & nos apud ipsum Lucam tractauimus. Dies etenim magnus & horribilis, dies iudicij est.

Ad hæc obserua, quòd Petrus allegans hunc textum Actorum secundo, ubi nos habemus: Et erit post hæc, dixit: Et erit in nouissimis diebus. Ergo nouissimis diebus hæc implenda erant. Petrus enim sensum allegauit. Porro in Prophetis, dies nouissimus non raro capitur pro toto rem=

to tempore, à Christo nato, usq; ad finem mundi. Sic capi-
tur Esa. secundo, & Michea quarto ab initio capitum. Et
ideo aptissime & uere exponitur hic textus, ut nouissime
diximus, & de quocunque tempore à Christo incarnato,
cum post ignorantiam ueritatis, Christus ipse agnoscitur,
& ueritas reuelatur, recte intelligitur, sed maxime de fe-
licissimis sæculis, quorum aliquod initium nunc est, & al-
tissima Dei mysteria, diebus, heu, tam multis abscondita,
sensim aperuntur. Prodigia autem, quæ hic ponuntur,
iudicium è proximo sunt antecessura.

Et erit: Omnis qui inuocauerit nomen Do-
mini saluus erit. Quia in monte Sion, &
in Hierusalem erit saluatio, sicut dixit
Dominus, & in residuis quos Do-
minus uocauerit.

Eiusmodi locos non raro exposuimus. Proinde nunc
paucis agemus. Ille Dei nomen inuocat, qui multa fidu-
cia bonitatis eius, misericordiam & auxilium petit ab eo
per CHRISTVM. Quisquis sic inuocat, saluus fit ex
fide. Alioqui omnis deprecatio, nihil minus quàm nomi-
nis Domini inuocatio est. Nimirum est ipsissima hypocri-
sis. Deniq; mons Sion, & Hierusalem, est Dei Ecclesia,
ad quam Dominus uocat residuos, id est, electos, & in ea
sola, uera salus, & ab omni malo euasio ac liberatio est,
per CHRISTVM.

P A R S S E C V N D A.

Quia

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Quia ecce in diebus illis, in tempore illo, cū
conuerterō captiuitarem Iuda & Hierusa-
lem, congregabo omnes gentes, & des-
ducam eas in uallem Iosaphat, & di-
sceptabo cum eis ibi, super popu-
lo meo, et hæreditate mea Isra-
el, quos disperserūt in natio-
nibus, & terram meam di-
uiserunt, & super popu-
lum meum mi-
serunt sortē.

Et posuerunt puerum in prostibu-
lo, & puellam uendiderunt
pro uino, ut biberent.

Laborant multi, ut quæ sequuntur, de extremo iudicio
enarrent, sed cum multum in hoc desudarint, nō per-
ueniunt, quo tendunt. Offendunt enim locos, quasi
scopulos in uia, quibus præpediuntur, ne perficiant quod
cœperunt. Nam eiusmodi expositioni omnes partes con-
uenire non possunt. Quo in labore & nos quoq; aliquo-
ties desudauimus, sed frustra. Ego quoq; non puto tutum,
adserere, q̄ ipsum extremum iudicium sit futurum in ual-
le Iosaphat, quæ uidelicet sic uocatur. Certum autem est,
quod alicubi erit, et locus ipse, uocatur uallis iudicij Domi-
ni, siue Iosaphat, quod interpretatur Domini iudicium.
Definire

Definire autem hanc uallem esse illic, aut isthic, temerarium omnino est. Quid obsecro torquemur his fabulis, & scrupulis inanissimis? Bonum est amplecti ueritatem Dei purissime, alia autem sunt dimittenda. Verum tamen si ipsum iudicium dixi futurum in ualle Iosaphat, siue iudicij D O M I N I, non proprie, sed appellatiue Iosaphat capiendo, attamen non adscuero hunc textum de ipso extremo iudicio debere adcipi. Id autem certum est, quòd de iudicio D O M I N I agit, à cuius spiritu impij reprobantur, & damnantur.

Igitur posteaquam dixit se post uerbi famem perniciosissimam, multa copia missurum suauissimas diuine iustitiae escas, id est, uerbum fidei, quo iustificamur & uiuimus, adseruitq; in sola Ecclesia esse ueram salutem, nunc ostendit, quòd qui non sunt ex ipsa Ecclesia, sunt iudicandi, id est, reprobandi, ob iniquitates eorum, uincendique à ueris Israëlitis & conuersis.

Dicit ergo: Quia scilicet in sola Hierosolyma, id est, Ecclesia, est euasio, & uera salus, ideo ecce ego, in diebus illis, quibus desiderabilia sermonum meorum alimenta tradidero, & noxiam que præcesserat, famem pepulero, in illo, inquam, tempore, cum Iuda & Hierusalem, id est, electorum, captiuitatem, peccati, mortis, & inferni, ac traditionum hominum, quibus, haud secus atque uinculis ferreis uincti tenebantur, fidei uerbo abstulero, congregabo omnes gentes, id est, incredulos, qui pro gentibus

coram

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

coram Domino habentur, etiam si alioqui ex Abrahamæ se-
mine sunt. Hinc Paulus Rom. 2. Si legis transgressor fu-
eris, circumcisio tibi præputium facta est. Et deducam
eas in uallem Iosaphat, quod interpretatur, iudicium Do-
mini. Adpellatiue enim capitur. Tum congregantur
in iudicium D O M I N I omnes gentes, cum omnes iu-
dicantur, damnantur, & reprobantur ab eo.

Et disceptabo, arguam scilicet, & increpabo, cum eis, ibi,
nempe in iudicio meo uerissimo, æquissimo, sanctissimo, su-
per populo meo, & hereditate mea Israël, quæ est Eccle-
sia electorum & sanctorum. Quos disperferunt & c. Sa-
ne mala quæ olim gentes Israël fecerunt, omnia aduersa
quæ ab impijs ueri fideles patiuntur, designant, & a-
ptissime quidem. Nimirum, dum eos pellunt, & in exili-
um mittunt, quasi in nationibus dispergunt. Dum autem
eorum substantiam diripiunt, & sibi partiuntur ad inui-
cem, ac ipsam illorum Ecclesiam calcant, & in ea, quantum
possunt, uolunt dominari, quasi Dei terram diuidunt. Et
dum ad id multo astu nituntur, & pariter excogitant con-
silia, ut in sanctos magis deseuiant, quasi super Domini po-
pulum sortes mittunt. Rursus, dum pueros & puellas, ab
initio, suis mendacijs contra Dei ueritatem instituunt, ne
si Dei uerbo instituerentur, etate procedente, suæ contra-
dicerent tyrannidi, qua ratione non parum præpediren-
tur, ut non tam libere sæuirent, raperent, lasciuires, ac cū
illis abutuntur, ut delitijs adfluant, itidem cum aliorum a-
dulterijs,

dulterijs, scortationibus, & immundicijs nequandissimis
 consentiunt, ac inde multum sibi questum parant (quod An-
 tichristo, et Tyrannis suis quotidianum est) quasi puerum
 in prostibulo ponunt, & puellam uendunt pro uino, ut bi-
 bant. Prostibulo namq; & ebrietate, uniuersae carnis de-
 litiae capiuntur.

Obserua, quod uniuersi quos reprobat & iudicat ser-
 mo Dei, in ualle diuini iudicij, siue Iosaphat congregan-
 tur. Iudicat autem in fidelibus spiritu suo, omnes impios
 & apostatas, ac impietates eorum. Sed id semper tum ma-
 xime, cum ueritatem suam reuelare dignatur. Quod no-
 stris felicissimis diebus, in his qui uerbum susceperunt, pa-
 lam est cernere. Demum qui non credit, iam iudicatus, si-
 ue condemnatus est. Ioan. 3. Qui reijcit me, ait Christus,
 nec recipit uerba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem
 locutus sum, ille iudicabit eum. Ioan. 12.

Verum quid mihi & uobis Tyrus & Sidon,
 et omnis terminus Palestinorum? Nunquid
 ultionem uos reddetis mihi? Et si ulciscimini
 uos contra me, cito uelociter reddam uicissi-
 tudinem uobis, super caput uestrum. Argen-
 tum enim meum, & aurum tulistis, & desy-
 derabilia mea, & pulcherrima intulistis in de-
 lubra uestra. Et filios Iuda & filios Hierusalē
 uendidistis filijs Græcorum, ut longe fa-
 ceretis eos de finibus suis.

Tyrus,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Tyrus, Sidon, & Philistæa siue Palestina, regiones erant uicinæ terris Israël, & ipsis Israëlitis semper aduersabantur. Proinde quemadmodum Israël typum gerit omnium fidelium, qui sunt ueri Israëlitæ, & uerum Abrahæ semen Roman. nono, ita istæ gentes adflictrices Israëlitis, & illi uicinæ, eos designant, qui Dei populo cohabitant, & illum adfligunt atque discruciant. Hi sunt apostatæ à CHRISTO, nempe Antichristi & hypocritæ, qui pro meris gentibus, immo pro deterioribus quàm illi coram DOMINO sunt, etiam si ex Israël secundum carnem sunt. Quis enim esset tam stupidi atque excæcati animi & iudicij, ut putaret Deum tanta promississe, tamq̃ sollicitum fuisse, pro solis Israëlitis secundum carnem? Verum nanque Abrahæ semen, & filij promissionum Dei, sunt fideles & electi omnes, quem admodum Roman. nono apertissime habes. Pro his tam zelat DEVS, & uindex est in uniuersos, qui discruciarunt eos.

Ergo Tyrij, Sidonij, & Palestini, sunt Antichristi, et omnes Ecclesiæ persecutores, hi præ cæteris, qui fidelibus cohabitant, & illos eo grauius adfligunt, quo illis sunt uiciniores. His dicit DOMINVS: Quid mihi & uobis? Quasi diceret, Nihil mecum habetis commune. Odi uos, & ab æterno reprobauit. Non estis ex populo meo, nec ad uos spectat terra, id est, Ecclesia mea, quam uestris malignitatibus ac tyrannidibus, tot diebus adfligere

adfligere non expauiſtis, & adhuc adfligitis. Nunquid ultionem uos reddetis, id eſt, reſiſtetis mihi, odio quod in me habetis, perſequendo, cruciando, & occidendo populum meum? Et ſi hoc facitis aduerſum me, cito uelociter reddam &c. id eſt, confeſtim uos, ut iuſtum erit, puniam.

Argentum enim &c. hæc dicuntur in typo, de Eccleſiæ tyrannis, ſiue Antichriſtis. Qui dum omnem fidelis populi ſubſtantiam ſubſurantur & illis abutuntur, ad ſua mendacia, traditiones, & figmenta, quaſi aurum & argentum domini, inferunt in delubra ſua. In quæ etiam dei optima & deſiderabilia, quaſi inferunt, dum eius eloquia, quæ ſuper mel, & fauum, ac lapidem præcioſum multum, ſunt deſiderabilia. Pſal. 18. ſuis immundicijs & figmentis ſeruire compellunt, hoc eſt, dum illa perperam enarrant, et per ea ſuas adinventiones confirmare nituntur. Enimvero hoc pseudoprophetaſis ſemper commune fuit.

Et filios Iuda &c. Quia Græci mundi huius ſapientiam quaerunt. 1. Corin. 1. et ab eis maxime prodiit, ideo per eos ipſa uana ſapientia capitur. Ergo hypocritæ & Chriſti hoſtes, uendiderunt filios Iuda & Hieruſalem, id eſt, filios Eccleſiæ, filijs Græcorum, nempe, Ariſtoteli, & alijs, qui & Græci fuerunt, & eandem ſapientiam docuerunt. Quod tum fecerunt, dum illos huic execrabili ſapientia immergi uoluerunt, & per id longe facti ſunt à finibus ſuis, id eſt, à uerbo dei, & fide Eccleſiæ.

G Nihil

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Nihil enim tam alienum à ueritate facit, sicut huic sapientie nimis esse immersum. Hæc fuit causa excæcationis antecedentium sæculorū, quod græcanicæ Platonis atq; Aristotelis sapientie, uenundati fuimus. Veh nolentibus redire in regionem suam, id est, in Ecclesiæ fidem, & uerbum dei, ab incredulitate & traditionibus hominum, dictorum maxime Græcorum.

Hæc sunt mala grauissima, quæ terrendissimo iudicio dei, post uerbi famem perniciosiss. à superscriptis locustis facta sunt. Ego enim persuasum habeo, per Tyrum, Sidonem, Palestinam, Idumeam, & Aegyptum, eosdem intelligendos, qui supra per uermes & rubiginem. Hi namq; populi, non raro uastarunt & persecuti sunt Hebræos, à quibus nō admodum longe positi erant, ideo eos figurarunt, qui è uicino & immanius Dei Ecclesiam, diuexaturi & persecuturi erant. Et is est, Antichristus cū suis. Plus enim uastarunt Ecclesiam Dei, quàm omnes tyranni, qui fuere à principio, eo quòd sua mendacia sub dei nomine sanctissimo, & in hypocrisi inculcarint. Quod factum est, ut celerius & efficacius cuncta inuenterent. Plus enim uastat seductio, quàm gladius. Imò gladius, semper Christi negocia promouet, quæ spiritus impostores & doctrine demoniorum, nunquam non confundunt, cum amantur, & docentur.

Deniq; & hæ dictiones, Antichristianam perfidiam, maxime exprimunt. Nam primum Tyrus in Hebræo dicitur

citur

citur Zor, & interpretatur angustia, quo designatur, in Antichristi factione, nihil ueræ pacis, & tranquillitatis reperiri, & quòd omnes qui ad eam spectant, electos & fideles excruciant. Sidon interpretatum est, uenatio. Et quid in ea reproba Synagoga uides, nisi robustam uenationem? Philistæus si interpretetur, est bibens sanguinem. Nonne & illa execrabilis gens, sanguinem ac sudorem, bibit & manducauit, interea ocio, lasciujs, et omni immundicia, torpens & polluta. Palestinam nonnulli putant significare os malleatoris, quod maxime illis congruit. Nam homo ille peccati, & sui, non suauissimos dei sermones, sed mendacia & inuenta sua, cunctis importabilia, quasi percutientes malleos, in superbia & abusione inculcant, & docent, præcipiuntq; etiam reiectis diuinis eloquijs, à cunctis obseruari. Idumæa interpretatur, terrena & cruenta. Et quis magis terræ adfectus, ac fidelium sanguine cruentior, bestia illa coccinea, & sua fornicaria Babylone, quæ sanctorum sanguine quotidie inebriatur? Aegyptus Hebraice dicitur Misraim, & si in hoc Hieronymo creditur, interpretatur, persequens. Quod quàm uerum sit, & in superioribus ostendimus, & nullus non uidet.

Ecce ego suscitabo eos, de loco in quo uendidistis eos, & conuertam retributionem uestram in caput uestrum. Et uendam filios uestrorum, et filias uestras, in manibus filiorum Iuda.

G 2 Et

Et uenundabunt eos Sabeis,
genti longinque, quia
dominus locu-
tus est.

Suscitat dominus filios Iuda, id est, electos, à loco in quo uenditi sunt, nempe, à filijs Græcorum, cum à Philosophica sapientia, eosdem liberos facit. Tum autem ab ea liberi fiunt, non cum illam ignorant, sed dum nihil ei fi-
dunt, ac cum agnoscunt, quàm nihil omnino proffit, ad in-
telligentiam ueritatis, & quàm in his quæ ad salutem spe-
ctant, necessaria minime sit, ob idq; illam calcant, quasi
stercora, ut lucrifaciant Christum, & ueritatem eius.
Conuertit autem retributionem, in caput illorum, qui
eos dictis Græcorum filijs uendiderant, cum illos punit.
Sed quæ est ista punitio? Vendit filios & filias eorum, per
filios Iuda, id est, Ecclesiæ dei. Quibus? Sabeis genti lon-
ginquæ, unde fuit Regina Saba, quæ uenit ad Salomo-
nem, ut audiret ab ea sapientiam dei. Quidam non in-
congrue dicunt, Sabaim hoc loco, quod in Hebræo habe-
tur, non pro speciali gente, sed adpellatiue capi. Signifi-
cat autem captiuos. Proinde Sept. uerterunt: Et uenunda-
bunt eos in captiuitatem genti quæ procul est. Porro ab
his qui græcanicæ sapientiæ fidunt, & in ea ambulant,
maxime distant, & ueritas, & qui illam profitentur.
Ideo cum filij dictorum Sidoniorum, Tyrriorum &c.
nempe, Antichristi, pseudoprophetæ, hypocritæ, &
Phari-

Pharisæi, à filijs Iuda, id est, Ecclesie uincuntur, ita quòd ueritati adquiescunt, & illius professoribus sic hærent, ut cum eis ueritatis captiui esse uelint, proprium intellectum, in eius obsequium captiuantes, quasi genti longinqua, in captiuitatē tametsi desiderabilem uenundantur.

Veh impijs, qui filios suos, Græcorum filijs uendunt, in eorum perniciem. Illi autem uere benedicti sunt, qui eos ueritatis dilectoribus uendunt & submitunt, ut in eorum sempiternam gloriam, fiant captiui æternæ ueritatis.

Duo hic obserua. Primum, dum legis, dominum eius modi sermones dixisse, suscitabo, conuertam, uendam, agnosce, quòd omnia ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt. Rom. 11. Secundum, quòd in scripturis, quoties post prophetias subiungitur: ego dominus locutus sum, quia dominus locutus est, & id genus alia, immutabilitas dei sermonum ostenditur. Namq; similitum locorum hic est sensus. Quia dominus, qui immutabilis est, hæc dixit, impossibile est, ut non fiant & impleantur.

P A R S T E R T I A.

Clamate hæc in gentibus, sanctificate bellum, suscite robustos. Ascendant, adcedant, omnes uiri bellatores. Concidite aratra uestra in gladios, &

G 3 ligones

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

ligones uestros in lanceas. Infirmus dicat, quia fortis ego sum.

Erumpite, & uenite omnes gentes de circuitu, & congregamini. Ibi occumbere faciet dominus robustos tuos.

Quidam putant hæc dici in contrarium sensum, sic ut sit uerbum domini, subsannantis omnem industriam & uirtutem hominum, adseruntq; hæc gentibus siue incredulis dici. Sed quantum liquet ex textus circumstantia, ad eos dirigitur iste sermo, quibus paulo post dicitur. Mittite falces &c. nempe, ad fideles Prophetas seu ministros eloquiorum domini. Siquidem illorum est clamare, quasi tuba. Esa. 58.

Dicit ergo, O Euangelistæ, seu Prophetæ, clamate hæc in gentibus. Quæ? Omnia quæ de iudicio domini, aduersum gentes hic dicta sunt. Sanctificate bellum, hoc est, agite bellum, non prophanum, sed sanctum, diuinum, spirituale, uerbo dei Antichristis omnibus contradicendo. Bellum sanctificarat, ille qui dixit. Certauimus bonum certamen, cursum consummaui, fidem seruauimus. Sanctum quippe est quod non est commune, prophanum, uulgare. Proinde
que

quæ in Dei templo olim offerebantur, sanctificari dicebātur. Suscite robustos, id est, electos. Qui dum non habent uerbum & fidem, debiles sunt. Vbi autem & uerbum & fides adceſſerint, robusti fiunt, quoniam illorum fortitudo & robur Dominus est. Hi solo Dei uerbo suscitantur, quod uerbum uita sit, & illi credentes, quasi à mortuis resurgant.

Denique ait: Ascendant, ueniant, adpropinquent, omnes uiri bellatores, id est, fideles, qui soli ad Dei bella apti sunt. Nam unusquisque ad femur gladio sermōnum Dei adcinctus est. Canticorum tertio.

Concidite aratra &c. Aratra in gladios, & ligones in lanceas concidunt, qui studium proprium, quod prius ad congreganda terrena, & acquirendam superciliosam mundi sapientiam, quod per aratra & ligones designatur, adponebant, ad implendam iussionem Domini, & amore uerbi sui conuertunt: Ipsum quippe uerbum est uiuum & efficax, omni gladio utrimq; scindente penetrabilis Hebræ. 4. quod qui amat, et illi firmissime credit, quasi illo adcingitur. Hoc adcinctus fuit Christus, & per eū quotquot in eum credunt. Hinc dicitur Psal. 44. Adcingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

Infirmus dicat, quia fortis sum. Pharisei hypocritæ & Antichristi, quoniam se pro iustis & fortibus uenditant, & iusti, & fortes in archanis literis non raro uocantur. Etenim suprâ, capite primo & secundo fortes dicuntur. Et de illis C H R I S T V S dicit Matthæi

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

nono, & Lucae quinto: Non ueni uocare iustos, non dubium quin hypocritas, sed peccatores, non dubium quin electos & fideles, Proinde Lucae decimo quinto, per oves & drachmas non perditas, ac filium in patris domo manentem illi capiuntur: isti uero, per ouem & drachmam perditas, filiumq; prodigum, & hic per infirmum. Nimirum quia in ueritate à seipsis se peccatores, infirmos, perditosque profitentur, eisdem nominibus à ueritatis spiritu nuncupantur. Infirmum, & perditum se agnoscebat qui dixit: Misere mei Domine, quoniam infirmus sum. Psalmo sexto. Et iterum: Erraui sicut ouis quæ periit. Psalmo centesimo decimo octauo. Peccatorem uero, electus ille publicanus, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori Lucae decimo octauo. Ergo quis se infirmum conspicit, non desperet, sed magis erigatur in spem & fiduciam **D O M I N I**, & dicat: Fortis sum. In seipso infirmus, in **D O M I N O** fortis. Sic Paulus se infirmum agnoscebat, dicens Roman. septimo: Noui, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam uelle quidem adest mihi, at ut faciam bonum non reperio &c. Verum quamuis in se infirmus esset, in **D O M I N O** tamen se fortem fuisse ostendit Philippens. quarto. Omnia, inquit, possum in eo qui me confortat.

Erumpite &c. Electos ex gentibus uocat, ut in Ecclesiam fide ueniant, & congregentur, Ibi, in Ecclesia scilicet,

licet, DOMINVS faciet occumbere robustos tuos, ò Tyre, ò Sidon, ò Palestina, hoc est, Synagoga Antichristorum. Robusti, & iusti secundum carnem, mox ut perueniunt in Ecclesiam, occumbunt, quia humiliantur, & proprio robori ac iustitiæ nihil omnino fidunt, nam in solum Deum fiduciam habent.

Vbi uulgata editio habet: Ibi occumbere & c. Septuaginta uerterunt: Mansuetus sit pugnator, quod his quæ diximus admodum consentit, scilicet, ut indicet bellum ad quod hic excitat, non esse illud in quo nunquam ferè non est crudelis occisio. Nimirum huius belli pugnatores, nõ ui aut carnalibus armis, sed mansuetudine & pacis uerbo pugnant & uincunt. Hi sunt imitatores illius summi bellatorum capitis, de quo Psalmo. 131. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Qui dicit Matthæi undecimo: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sic pugnantibus filiis & exercitibus Dei, nempe fidelibus, non stant, sed occumbunt coram eis omnes robusti sæculi huius, qui à fidelibus sic mansuetudine uincuntur, ut & ipsi mansueti pugnatores fiant. O quàm magna felicitas est, sic uinci. Benedictus à Domino, qui sic uincitur: ille uero est maledictus, qui se uinci non patitur.

Is locus est uere insignis, quo mansuetudinis Christianæ triumphus atque uictoria prædicatur. Est autem hæc mansuetudo iuncta ardori & animo uehementi, facitq; spiritus Dei in eiusmodi mansuetis, ut magna fortitudine

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

tudine iniquitates irrumperere possint, & corde inuicto
cōtra pietatis hostes consurgant. Mansuetissimus erat
Moses, præ cunctis hominibus uniuersæ terræ. Numeri
duodecimo, & nihilominus interim uehementiæ incom=
parabilis, aduersum contemptores Dei, ut in sacris histo=
rijs nullus non obseruare potest, qui rem ipsam diligenter
inuestigarit. Incusant nos Antichristi uehementiæ, sed
obsecro, quis nostrum peruenit adhuc ad mitissimorum
Prophetarum uehementiam? Quis mitior agno Dei,
IESV CHRISTO Domino nostro, & simul quis
illo uehementior, in pseudopphetas, ueritatis contem=
ptores, & hypocritas? Ergo uehementiam aduersum il=
los, exigui mansuetudo Christiana. Et quemadmodum re=
proborum Synagoga ipsam Dei mansuetissimum agnum
incusabant nimie seueritatis atque immititatis, ita &
nunc cum fidelibus ab Antichristis & Phariseis nostri sæ=
culi agitur. Nolunt enim occumbere, uinci, accedere ue=
ra docentibus, unde & peribunt.

**Consurgant, & ascendant gentes in
uallem Iosaphat, quia ibi sede
bo, ut iudicem omnes gē
tes in circuitu.**

Præcipitur gentibus, ut ueniant in diuini iudicij, si=
ue Iosaphat (quod idem est) uallem, ut ab eo iudicen=
tur. Diximus in superioribus, quòd ad iudicium extre=
mum

num hæc minime referantur, sed ad iudicium, quo spiritus Domini IESV CHRISTI impios damnat, & reprobat. Hinc est illud Ioannis duodecimo: Nunc iudicium est mundi. Quoties enim spiritus sanctus palam facit ueritatem suam, & per eam mundum, id est, incredulos iudicat, mundi iudicium est. Et nunc uere est hoc iudicium, quo Dominus uerbo suo mundum iudicat & damnat. Ad hoc uocantur gentes, id est, increduli, ut audiant Dominum reprobantem & damnantem, quæ in eis illi sunt ingratisissima, nempe incredulitatem, & fructus eius, ut docti ab illo creduli fiant, & nihil amplius habeant quod illis imputetur. Vallis quædam Iosaphat, est omnis locus, ubi pure docetur uerbum Dei. In hanc uallem descendunt, ut audiant iudicium Domini, quicumque ad idem uerbum fideliter properant, optantes scire quid à Deo probetur uel reprobetur, ut quod reprobatum fuerit deuitent, quod uero adprobatum, toto corde sequantur.

Mittite falces, quoniam maturauit messis. Venite, & descendite, quia plenum est torcular. Exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum. Populi, populi, in ualle concisionis, quia iuxta est dies Domini, in ualle concisionis.

Quid

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

Quid putas hoc esse, quàm illud quod Luca decimo Dominus ait: Messis quidem multa, sed operarij pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Ite. Ecce ego mitto uos &c. Et Ioannis quarto: Ecce, dico uobis: Attollite oculos uestrors, & uidete regiones, quoniam albæ sunt iam ad messem. Et qui metit mercedem adcipit, & congregat fructum in uitam æternam. Item hoc est mittere operarios in uineam Domini. Matthæi uigesimo. Vinea quippe Domini est domus Israël, id est, electorum Esaie quinto. Hi sunt uinitores, quos Dominus se daturum promittit. Oseæ secundo, qui supra, capite secundo, ob uinum perditum gemere dicuntur.

Igitur messorum & uinitores, sunt Dei eloquiorum fideles ministri. Messis & torcular sunt, quæ per eos sunt auferenda, falce eloquiorum Dei, nempe malitia & impietates. Hæc omnia instantia uerbi sunt abscindenda à populis Dei, ut in eis exuberent uinum ac triticum, iustitiæ CHRISTI, æternæq; ueritatis eius, hoc est, uerbum Dei, fides uera, & opera eius. Terræ enim, in quibus est metendum & uindemiandum, populi sunt, in quibus, dum credunt, est sancta messis atque uindemia, ubi autem in incredulitate adhuc uiuunt, & messis & uindemia abominabilis est. Nam pro tritico ac uino celestis ueritatis, non nisi mendaciorum fructus acerbissimos proferunt.

Postquam

Postquam ergo maturauit impietatis messis atque uindemia, hoc est, aduenit tempus à Deo præfinitum, quo impietatum iudicium facere in æternitate decreuit, Prophetis, hoc est, Euāgelistis suis præcipit DOMINVS: Mitte falces &c. Sensus est: Ite, & prædicate ueritatem meam, populis cunctis, quia multiplicatæ sunt iniquitates eorum, ut ipsa ueritate audita, noscant quæ mala sunt, & eadem uitent, uiuântque amodo, sicut decet seruos meos. Etenim populi, populi, id est, uariæ gentes, sunt in ualle concisionis, siue iudicij, hoc est, uerbo meo sunt reprobandæ impietates illorum, in die suo, id est, tempore quo ueritatem suam palàm facere ante sæcula præfinit. Omnia enim ab æterno sunt præfinita. Pro concisione, Septuaginta iudicium posuerunt.

Sol & Luna obtenebrati
sunt, & stellæ retra
xerunt splen
dorem
suū.

Exponatur hic uersus, ut supra, capite secundo. Et mire quadrat præcedentibus, in hoc, quòd matura messe ac uindemia iniquitatis, Sol iustitiæ CHRISTVS & eius ueritas obtenebrati sunt, Luna, id est, Ecclesia, figmentis hominum facta est subobscura, & stellæ, uerbi scilicet ministri, ueritatis splendorem retraxerunt. Dicit ergo: Sol & Luna &c. Quasi diceret: Tempus est,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

est, ut diffundatur lux æternæ ueritatis, qua errorum & tot malorum tenebræ depellantur. Vnde etiam recte subiungitur.

Et Dominus de Sion rugiet,
& de Hierusalem
dabit uocem
suam.

Cum tempus, quo præscripta impleantur, aduenerit, **DOMINVS** rugiet ut Leo, id est, uehementer clamabit, per Prophetas suos: De Sion, id est, Ecclesia, in qua sola speculari possumus Dominum, & de Hierusalem, id est, ab ipsa Ecclesia, in qua sola est ueræ pacis uisio, ideoq; uera est Hierosolyma, dabit uocem ueritatis suæ. Sensus est: Cum Deus suo spiritu mundum iudicabit & reprobabit, tum idem iudicium aperta uerbi sui prædicatione palàm faciet, et errorum tenebras quæ tot fuere sæculis, suæ ueritatis mirifico splendore depellet, uidebiturq; lux Solis, Lunæ, & stellarum.

PARS QVARTA.

Et mouebuntur cæli
& terra.

Quæcunque in cælo et in terra sunt, ueritate reuelata, innouabuntur. Tum adimplebitur illud Apoc'yp=
ca'yp=

calypsis uigesimo primo. Et erit cælum nouum, & terra noua. Primum cælum & prima terra abiit. Cælum quoddam fuit tempus CHRISTI & Apostolorum, in quo Solis CHRISTI: Lunæ, Ecclesiæ: stellarum, concionatorum ueritatis lux conspiciebatur. Imò & ipsi Apostoli cæli dicti sunt Psal. decimo octauo. Cum autem inualuit in Ecclesia Philosophica sapientia, & Antichristi coniuratio radices fixit, contenebrati sunt Sol, Luna, & stellæ, ut in superioribus uisum est, & cælum recessit quasi liber inuolutus Apocalypsis sexto, hoc est, non fuit uisum, sicut ea quæ sunt in libro clauso, minime uidentur. Prædicatum quoq; fuit aliud quoddam mendax cælum, in quo pro Sole iustitiæ CHRISTO, ac Luna, Ecclesia uera, & stellis, uiris scilicet Apostolicis, Antichristus, Synagoga eius, cum pseudoprophetis regnarunt, in hypocrisi & mendacio, se pro cælis uenditantes. Porro hoc execrabile cælum nihil ueræ lucis unquam habuit, & tamen se ipsissimam lucem habere semper adseruit, Hoc est cælum quod ueritate reuelata sensim abscedit, & quasi nouum cælum fit, dum Christus suæ ueritatis radios denuo mittit, & Ecclesia, ac ministri uerbi reddunt splendorem suum, qui antè absconditus erat.

Demum erroris sæculis, omnibus & quæ in cælo, & quæ in terra sunt, abusi fuimus, & de ipsis per impostores spiritus, & doctrinas demoniorum seducti, perperam iudicauimus. Nunc autem pulso mendacio, & redeunte

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

deunte ueritatis sermone, omnia ferè noua sunt, propter quod recte dicitur: Et mouebuntur cæli & terra. Quia si enim mouentur, dum aliud de eis quàm antè sentimus.

Et uere mirifica est cæli & terræ motio, quæ nunc est, ut ferè nulla maior esse possit, ita ut impletum uideamus, tametsi non nego perfectius implendum illud Apocalyps. uigesimo primo: Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.

Obseruet autem in seipso, quisquis ueritatis reuelatæ factus est particeps, si non omnia illi sunt renouata. Nimirum ubi quis ex fide renouatus est, omnia illi sunt uere noua. Ob hanc etiam innouationem, mira est impiorum commotio. Dum nanque uident, quòd ea quæ olim esse putabant, aut Ecclesiam Dei, aut sacrificium, aut sacrum aliud quiddam, nihil minus, quàm quod esse dicebantur, à nobis nunc esse prædicentur, & excæcati, quæ adserimus minime capiunt, uidentq; ueritatis sermonem contra eorum reprobos adfectus ex diametro pugnare, iritantur, & ululant aduersum nos, adserentes, quòd hæretica sint, quæcunque ex purissimo Dei uerbo nunciamus. Quod ideo faciunt, quia non sunt CHRISTI spiritu renouati. O quàm uere felix est, qui sic renouatur, & cui omnia sunt renouata. Nouus populus, noua terra, nouum cælum, noua lux, nouum uerbum, & noua omnia. Quæ simul æterna sunt, maxime quod ad Dei eloquia, lucemque ueritatis spectat. Sed proinde in Scripturis uerbum

bum, seu canticum nouum dicuntur, quòd carnalibus noua sint, & ad solos innouatos pertineant, de quibus subditur.

Et Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel.

Cum præscripta cunctorum motio sit, huius motionis hæc est summa, quòd populi Dei, id est, Ecclesie, solus ipse Deus spes ac fiducia est. Quemadmodum enim cæcitatatis præcedentium seculorum summa causa fuit, quòd in alijs, quàm in Domino fiduciam habuerunt, ita summæ reuelatæ ueritatis, est spes & fiducia in Deum solum. Ad ueniente ergo ipsa motione, & Dei iudicio per uerbum suum, solus Dominus est spes populi sui.

Demum, qui non sunt ex Deo, supra quàm dici possit, ipsa motione turbantur, ita, ut non à Deo, sed à Satana spiritu id esse putent. Ideo etiam si aliquando ueritati adquirescere uidentur, in tentatione deficiunt. Cæterum de filijs Israël, id est, fidelibus, non est sic, Fortes nanq; sunt, quòd eorum fortitudo Dominus sit. Quem, quoniam impij non habent, nec eius spiritu roborantur, in ueritate stare non possunt, tam propter mutationem & innouationem omnium, quàm propter crucis motionem, quæ uerbum nunquam non sequitur.

Et scietis, quia ego sum Dominus Deus uester,

H ster,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

ster, habitans in Sion, in monte sancto
meo. Et erit Hierusalem sancta,
& alieni non transibunt per
eam amplius.

Vnus est summis scopis, operum dei est, ut ipse deus &
dominus omnium esse agnoscat, sciaturque quod maxi-
me in sublimi & sancto Ecclesie monte habitet. Obserua
dictorum ordinem. Post messorum ac uinitorum, id est,
Euangelistarum aduentum, & rugitum domini, quo per
eosdem Euangelistas, suam ueritatē palam facit, sit ubique
motio ingens, dominusque ipse est, spes populi sui, & sor-
titudo inuicta. Tum populus ipse scit & probat uirtutem
eius in se, et quod in eorum Ecclesia permaneat deus. Et
Hierosolyma sancta erit, non prophana, in qua alieni
prescripti scilicet locustarum populi, non transibunt per
eam, id est, non habebuntur, quasi essent ex ea. Hoc cœpit
impleri in multis, qui iudicium spiritus habent. Quis no-
bis det, ut uniuersaliter impleatur?

Obserua, quod tametsi deus ubique est. in his ueruntamen
habitare dicitur, in quibus ueritatis spiritus est, per
quem omne mendacium abominantur, & in solum domi-
num fiduciam habent. Hi sunt celi illi, in quibus deus est.
Matth. 5. & Luc. 11. & habitat, psal. 122.

Obserua etiam, quod quamuis uera Hierusalem, id
est, Ecclesia dei, ab initio fuerit sancta, pulchra, impollu-
ta, ueruntamen non incongrue idem futura prædicitur.

Sic

Sic enim capi ur. Et Hierusalem sancta erit, in oculis scilicet omnium, qui lucis æternæ ueritatis facti fuerint participes. Quod. Vsq; in tempus reuelatæ ueritatis, quo dominus iudicabit & reprobabit, Synagogam antedicti locustarum populi, nempe, Antichristorum, pseudoprophetarum, & hypocritarum, ipsa eorum Synagoga, pro sancta dei Ecclesia habebitur. Vbi autem ueritas ipsa cunctis inluxerit, agnossetur, quod nihil unquam fuerit illa prophanius. ideo non ultra pro dei Ecclesia habebitur, quin potius ab uniuersis aperte conspicietur, quod sit ipsissima Satanae & malignantium Synagoga. Illam autem quæ ante calcabatur, nempe, fidelium & electorum multitudinem, & eandem solam quidem, Ecclesiam sanctam, ueram Hierusalem esse, sicut in ueritate est, uniuersi à dei sermonibus eruditi apertissime profitebuntur, quod iam in omnibus qui ueritati adquiescunt, impletum uidemus. Nimirum spurcissima illa, ac fornicaria Babylon, quæ omnis sanctitatis, reuerentiæ, ac gloriæ titulos, sine re diebus multis usurpauit, abiicitur, & calcari cœpit, uera autem Domini I E S U C H R I S T I Ecclesia, quæ sit, per Dei uerbum agnoscutur. Et alieni non transibunt per eam amplius, quoniam Antichristi regnum, minime ultra erigetur, id est, non ultra habebitur pro Ecclesia Dei, posteaquam semel ceciderit. Cadat, Cadat, cito. A M E N.

Et erit in die illa, stillabunt montes dul-

H 2 cedinem,

cedinem, & colles fluent lacte. Et per omnes riuos Iuda ibunt aquæ. Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.

Montes maiores, & colles minores in Ecclesia sunt. Hi montes et colles, in die illa, id est, posteaquam reuelata fuerit Dei ueritas, stillabunt dulcedinem, & fluent lac, uerbum scilicet Dei, cuius inestimabilis suauitas, mellis atque lactis dulcedine, in archanis literis sæpißime figuratur.

Et per omnes &c. Iuda, Ecclesia est: aquæ, Dei eloquia, & spiritus ueritatis: Ecclesiæ autem riuus, ministri uerbi. Per hos fluunt aquæ, cum ueritatem annunciant, in quibus est perniciosissima siccitas, cum non nisi mandata & doctrinas hominum docent. Et de domo Domini, non dubium quin Ecclesia, egreditur fons ueritatis CHRISTI, & spiritus eius, de quo Ioannis quarto. Si quis biberit ex aqua quam ego dederò ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. De his multa in Salomonis Canticis tractauimus. Porro hic fons ueritatis egreditur à domo Dei, cum ab Ecclesiæ filiis purissime nunciatur. Sed ad quid egreditur? Ad irrigandum torrentem spinarum. Torrens quidam spinarum, nullas habens ueritatis aquas, carnales sunt, quòd in illis non nisi delictorum spinæ reperiantur. Hos spinarum torrentes irrigat fons, id est, spiritus domus Domini, cum illustrantur,

illustrantur, & trahuntur, ut adquiescant ueritati. In Hebræo habetur: Ad irrigandum torrentem Sethim. Sethim autem lignum imputribile est. Torrens Sethim, lignorum imputribilium, Dei Ecclesia recte dicitur, cuius tot sunt ligna Sethim, quot filij & electi. Hunc torrentem irrigat fons æternæ ueritatis egrediens à domo Domini, id est, ab ipsa Ecclesia, quæ & domus Domini, & Sethim torrens est. Eius omnis filius est lignum Sethim, quòd omnino corrumpi & perire non possit, nec rapi à manu Dei. Ioannis decimo.

Aegyptus in desolatione erit, & Idumæa in desertum perditionis, pro eo quòd inique egerint in filiis Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.

Diximus paulo ante, ibi: Et quid mihi & uobis Tyrus &c. quòd per Aegyptum & Idumæam, idem quod per Locustas intelligitur, nempe Synagoga Antichristorum, hypocritarum, ac falsorum Prophetarum, quam desolari, perdi, & calcari necesse est. Quod Apostolorum diebus factum est, & nunc denuo post tam infelicia errorum sæcula fieri incipit, & indies eo magis adaugetur, quo apertius nota fit Dei eloquiorum ueritas. Nimirum solo spiritu oris Domini, eandem & reuelari & corruere

H 3 oportet,

FRANC. LAMB. IN IOHELEM

oportet. Ob id autem uel multo maxime corruet, & abij-
cietur, quòd in filios iuda, Ecclesie scilicet, inique ege-
runt &c. Per hæc omnem persecutionem, qua in electos
desæuiunt, intellige. Siquidem electi iudæi sunt, id est con-
fidentes. Quòd autem sanguinem innoxium fundant, in
hunc diem usque adspicimus. Sanguinem quoq; sancto-
rum fundere sutiunt, q, illis est coram Domino, perinde at-
que factò illum fudissent.

Et Iudæa in æternum habitabitur, &
Hierusalem in generationem, &
generationem.


Hoc loco & similibus, regni C H R I S T I perpe-
tuitas designatur, de quo Lucæ primo: Et regnabit in do-
mo iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Indu-
bie enim domus iacob, iudæa, & Hierusalem, Dei Eccle-
sia est. De hoc C H R I S T I regno, apud ipsum Lu-
cam, eodem loco abun- de tractauimus.

Et mundabo sanguinem eorum, quos
non mundaueram. Et Domi-
nus commorabitur in Sion.

Sanguis hoc loco peccatum, carnis prudentia, siue for-
nicationum spiritus uel sensus, & omnis immunditia est.
Sic & Psalmo quinquagesimo: Libera me de sanguini-
bus, quo loco, nedum à peccatis, sed & ab omni carnis iu-
dicio liberari cupit. Petit, ut non sit ultra caro & san-
guis, id est, carnalis, sed ut totus spiritu innouetur. Ni-
mirum


mirum caro & sanguis non reuelat nobis Christum & ueritatem eius, sed Pater summus, qui est in cælis Matth. decimo sexto. Ab hac carne & sanguine Deus mundat electos ex fide, quos priusquam crederent, & ueritati ad quiescerent, non mundauerat. Hæc est mundicies, pro qua orabat Dauid Psalmo quinquagesimo: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum in noua in uisceribus meis. Enim uero dum spiritu innouamur, mundamur à carne et sanguine, et cor mundum in nobis creat Deus. **Tum Dominus IESVS CHRISTVS commorabitur in Sion, id est, Ecclesia, sicut ipse dixit Matthæi ultimo: Ecce uobiscum sum, usque ad consummationem sæculi. Veni Domine IESV, & commorare nobiscum. Perimus, si à nobis diuideris, qui cum Patre, & spiritu sancto unus es DEVS, uiuens, & regnans in sæcula sæculorum. A M E N.**

F I N I S.



Fd 6103


X 2210458





Farbkarte #13

B.I.G.



IN IOHE

LEM PROPHETAM,
qui è duodecim secundus est,
Francisci Lamberti Aueni-
onensis Commentarij.

Cum gratia & priuilegio Cesareo
ad triennium.

Ed 907

Ed 6103

